

LIBRARY OF
THE NEW YORK BOTANICAL GARDEN

PURCHASED 1923 FROM
GENEVA BOTANICAL GARDEN

September 1899 R. W. Gibson-Invt



la. Deset. 1884. in a. l. n. a. e. s. de florum
DUPLICATA DE LA BIBLIOTHEQUE
DU CONSERVATOIRE BOTANIQUE DE GENEVE

VENDU EN 1922
PAULI KITAIBELII

ADDITAMENTA

AD

FLORAM HUNGARICAM.

E MANUSCRIPTIS 80. I. II. III. IV. OCT. LAT. DE PLANTIS
HUNGARIAE MUS. NAT. HUNG.

EDIDIT

AUGUSTUS KANTZ.

LIBRARY
NEW YORK
BOTANICAL
GARDEN

EX LINNAEAE XXXII. TOMO IMPRESSUM.

HALIS SAXONUM

TYPIS GEBAUERIO-SCHWETSCHKIANIS.

MDCCCLXIV.

1864

DU CONSERVATOIRE DES ARTS ET METIERS
LE 10 OCT. 1874
K53

PAULI KITAIBELII

ADDITIONATA

AB

FLORAM HUNGARICAM.

DE AGRIARUM MUSEO NAT. HUNG.
DIE OCT. IV. 1874.

AVUSTRIAE IMPERII

IN VIENNAE

LEONARDO COENIGLI

MDCCCLXXIV

Pauli Kitaibelii

Additamenta ad Floram Hungaricam.

Gramineae.

1. Crypsis aculeata.

Habitat locis salsuginosis ad Peisonem lacum, in C. Albensi, Zemplinensi; in insula Schütt.

2. Beckmannia erucaeformis.

Habitat in pratis humidis ad Tibiscum e. c. ad Szolnok, in salsis humidis Cottus Borsodiensis, in fossis aquosis infra Parád, in stagnantibus aquis infra Jász-Apáthi.

3. Holcus repens.

Habitat in insulis Danubii, ad Szada, Vörösegyház, Gödöllő, Nagy Kőrös, alibique locis arenosis siccis.

4. H. odoratus.

Ad Sümegh in Cottu Veszprimensi.

5. Agrostis alba.

Erscheint (nach Schrader in einem Schreiben vom 13. Januar 1812) in so mannigfaltiger Gestalt, dass er Host nicht beipflichten kann, mehrere Arten daraus zu machen.

A. alba β . sub nomine *A. multicaulis* mihi, descripta est ad Herlein, ubi lecta in graminosis.

6. *A. trichotoma* mihi.

Culmus erectus, pedalis, tenuis, teres, laevis, basi ramosus. Folia angusta, linearia, plana, utrinque scabra, supra sulcata. Vaginae laeves, striatae, superiore parte margine membranaceae. Ligula oblonga, obtusa. Panicula erecta, patens: rachi ramulisque subflexuosis, scabris, inaequaliter, di-trichotomisve. Calycis glumae glabrae, laeves, corolla longiores, corollinaeque muticae. Stamina tria. Habitat in silvis Slavoniae.

7. *A. obliqua* mihi.

Ab *A. mutica*, panicula angusta, erecta; glumis calycinis inaequalibus; foliis oblique insertis; ligula longa; culmo repente.

8. *A. gracilis* mihi.

Etiam Schrader, cui missa, diversa species esse videtur. In silvis.

9. *A. hispida*.

Apud nos in pratis copiosissima a Schrader, quem etiam Willdenow aliique sequuntur, ad *A. albam* reducta, est ligula exserta, ab *A. vulgari* facile dignoscenda.

10. *Arundo sabuli* mihi.

Novam esse speciem, agnoscit etiam Willdenow. Radix latissime repens, filiformis, alba, copiosos culmos steriles fertilesque promens. Culmi bi-tripedales, erecti, aut basi nonnihil curvati, nodis seu geniculis 4—5 interstincti, superioribus duobus remotissimis, hinc vagina non contectis, atrorubentibus, laeves, glabri, striati, teretes, simplicissimi. Folia linearia, acuminata, striata, utrinque, praesertim marginibus scabra, caeterum glabra. Vaginae striatae, glabrae, laeves, margine superiore parte membranaceae. Ligula oblonga, obtusa, demum bifida, lacerave. Panicula patens, ra-

mosissima, subnutans, rachi communi tereti, striata, laevi, glabra: ramis tenuissimis, semiteretibus, angulis scabriusculis, caeterum laevibus. Spiculae 1-florae: calycis glumis atrorubentibus, angustis, subulatis, conduplicato-carinatis, carina vix notabiliter scabriusculis, caeterum laevibus, altera longiore et paulo angustiore. Corollae valvulae membranaceae, albae, convexae, apice bifido aristatae, arista valvulam alteram accedente, alteram subaequante, seu paulo brevior, recta, capillacea; minor angustior, duplo brevior, apice bifida, seu bidentata; pili baseos corolla longiores, arista breviores. Fil. tenuissima, alba; anth. lineares, utrinque bifidae, albae.

Habitat in sabulo humido. Floret sub medium Julii.

11. *A. attenuata*.

Ita dicendam putat Willdenow novam speciem, a me eidem sub X. 27. missam.

12. *A. tenuis*.

Ita interea dicendam putat Willdenow novam speciem, eidem sub X. 12. submissam.

13. *A. alpestris* mihi = *A. Pseudophragmites* Hall. fil. secundum Willdenow in litt.

In alpinis montium Rosály, Guttin et Trojagae ad Izvoru Kailor.

14. *A. Phragmites*.

15. *A. aggerum*.

Priori simillima, diversa tantum statura minore; ligula tantum margine ciliata; flosculis receptaculo elongato distantibus, infimo elongato, reliquis abbreviatis, lana receptaculi et flosculo infimo multo brevioribus. Habitat in aggeribus vinearum Budae sub monte aquilarum, in ipsis etiam vineis montis Gerardi.

16. *Aira glauca*.

Frequens in arena substerili ubique in planitie inferiore inter Danubium et Tibiscum intercedente.

17. A. tenera mihi.

Radix annua, fibrosa, fibris fuscescenti-albidis, sesquipollice vix longioribus, flexuosis. Culmi erecti, raro duobus plures ex eadem radice, spithamaei, aut paulo altiores, teretes, striati, laeves, calvi, tribus geniculis intercepti, ultra medium aut toti vaginis tecti. Folia radicalia paucissima, sub anthesi marcida, culmi 3—4, omnia linearia, acuta, plana, tenerrima, subflaccida, stricta, glabra, laevia, marginibus scabriuscula. Vaginae laxae, teretes cum angulo a folii dorso decurrente, striatae, glabrae, laeves, marginibus albo-membranaceae. Ligula oblonga, obtusissima, albo-membranacea. Panicula patens, erecta, rachi subflexuosa, tota tereti, laevi: ramis verticillatis, inaequalibus, teretibus, flexuosis, laevibus. Spiculae ovatae, biflorae. Calycis glumae obtusae, maxima parte albo-membranaceae, dorso virides, inferior minutissima, superior apice inaequaliter submarginata. Flosculi ovati, subangulati, inferior sessilis, alter pedicellatus, calycem excedentes. Glumae ovatae, obtusae, apice quantum videre licet, integerrimae; toto glabrae laevesque, exterior nervis tribus viridibus, interior angulis binis flexurarum viridibus distincta, caeterum utraque membranacea. Filamenta capillaria, tenuissima, alba. Antherae oblongae, utrinque bifidae, ochroleucae. Germen obovatum. Styli villosi, albi.

Habitat in locis siccis et subhumidis ad vias Slavoniae.

Differt ab *A. aquatica* cui similis: *a*) radice annua, *b*) culmis subsolitariis, erectis (nec adscendentibus), simplicibus (nec basi ramosis), duplo triplove brevioribus tenuioribusque, *c*) geniculis 3—4 (nec 8—10, infimis radicanibus), *d*) foliis triplo angustioribus, *e*) panicula multo minore. Caeterum structura et forma, etiam fructificationis partium, ambo omnino conveniunt.

18. *Avena latifolia* mihi et Hostio, *A. planiculmis* Schrad. in Fl. germ.

Habitat in monte inter Hradek et Sz. Iván; in Klakberg inter Liptov. et Thuroc. Cottum legit Wahlenberg.

19. *A. scabra* mihi.

Radix perennis, fibrosa. Culmi erecti, stricti, 1—2-pedales, unico nodo, 2—3-pollicibus supra radicem interceptis altero proxime ad radicem sito, caeterum enodes, profunde striati, a geniculo superiori omnino scabri, ad vel ultra medium emersi, glaucescentes. Folia utrinque profunde striata, scabraque praesertim marginibus et carina canescenti-glauca, subtus carinata, supra canaliculata, culmea tamen planiuscula, acuta, apice in naviculae formam conniventia, radicalia spithamei aut prope pedalia, in fasciculos compressos collecta, culmea paulo latiora breviora, supremum saepe vix pollice longius. Vaginae compressae, carinatae, profunde striatae, canescenti-glaucae, parte superiore scabrae, praesertim carina. Ligula oblonga, acuta, demum multifida. Panicula erecta; ramis inferioribus bi-trifloris, saepe pedunculo unifloro, associato, spiculis lateralibus utriusque et iis, qui versus apicem solitarii prodeunt, subsessilibus. Rachis flexuose teres, uno latere sulco instructa, ramulique pedunculique scaberrimi, sub florescentia erecta patuli. Spiculae lanceolatae, 8-florae, demum subcompressae. Calycis valvulae lanceolatae, cuspidatae tuberae, apiceque membranaceae diaphanae, dorso virides, utraque trinervis: nervis e linea duplicata constantibus, exterior, brevior angustiorque, carina scabrae, caeterum laeves. Flosculi calycem excedentes, gluma exteriori 5-nervi, nervis duplicatis viridibus, caeterum membranacea, dorso scabriuscula, apice bifida, supra dorsum emittens aristam corolla non multo longiorem, dum recurvo patentem, atrobubente: interior membranacea, plana, tantum inferiore parte

marginibus inflexis virescens, ibidemque scabriuscula, apice bifida. Fil. capillaria, alba; antherae lineares, utrinque bifidae, pallide flavae. Germen obovatum, apice villosum; stigmata plumosa alba. Semina Dentes racheos utrinque stipatae fasciculo pilorum alborum, nitidorum, breviorum, quam in *A. pratensi* et *pubescenti*. *A. pratensi* maxime similis est; sed differt scabritie culmorum, vaginalum, foliorum, racheos, ramorum, pedunculorumque: spiculis octofloris etc. Habitat in graminosis alpinis et subalpinis Liptoviae.

Fors tantum varietas *A. pratensis*.

20. *A. ciliaris* mihi.

Nova species, etiam consentiente Willdenow cui sub X. 25. missa.

21. *A. pilosa* mihi.

Pro nova etiam agnoscit Willdenow, cui missa sub X. 24.

Haec videtur esse eadem, quam Wahlenberg in Klakberg (inter Cottum Thuroc., et Liptov.) reperit, quaerens an *A. ciliaris* mea?

22. *Poa firma* v. *nutans* mihi, *miliacea* mihi, *effusa* mihi.

Radix perennis, fibrosa. Culmi plures ex eadem radice, plerique geniculis inferioribus infractis adscendentes, culmos laterales edentes, teretes, striati, laeves, geniculis 5—6 intercepti, subtripedales. Folia linearia, illis *Poae nemoralis* duplo latiora, acuminata, utrinque, praesertim marginibus et apice scabriuscula, versus basin autem laevia. Vaginae striatae, laeves, teretes cum angulo carinali. Ligula alba exserta, subovata, acutiuscula, rarius obtusa. Panicula subspithamaea, patentissima, ramis pedicellisque divaricatis, apice cernua, caeterum erecta. Rachis teres, inferiore parte laevis, superiore scabriuscula, summa ramulisque subangulatis, flexuo-

sis, scabris. Spiculae ovato-lanceolatae, acutae, compressae, bicarinatae, 3 — 5-florae. Calycis valvulae subaequales, subulatae, acuminatae, margine membranaceae; dorso nervis 3 vix lente videndis notato, virentes. Flosculi basi villo tenuissimo pareissimo cohaerentes; gluma exterior basi, carina marginibusque inferne villo tenuissimo albo obsita, margine membranacea, apice purpurascenti-fusca, acuta, dorso viridis, laevis, interior apice bifida, flexuosa, angulis viridibus scabriusculis, caeterum membranacea.

Habitat in silvis ad Herlein (Ránk.). Floret Junio.

Similis *P. nemoralis*, sed diversa culmisque duplo altioribus, teretibus; foliis duplo latioribus, ligula exserta, acutiuscula, panicula duplo longiore, apice cernua, etiam post florescentiam patentissima. Flosculi porro villo etiam in *P. nemoralis* cohaerent. Sprengel pro *P. nemoralis* habet.

23. *P. nemoralis*.

Quam ad Pece Sz. Márton offendi, erat culmis vaginisque laevibus; marginibus foliorum scabris; ligula truncata, brevi. Spiculis 4-floris; calycinis glumis acuminatis nervosis, dorso scabris; corollis calvis (nec basi pubescentibus).

24. *P. caduca* mihi.

Similis *P. distantis*, sed minor; culmi subcompressi; rachis inferne tereti-subcompressa; spiculae ovatae, biflorae; glumae calycis acutae. Rami paniculae fructiferi subreflexi.

25. *P. scabra* mihi.

Pro nova habetur etiam ab Willdenowio.

26. *P. banatica*.

Ita nominandam putat Willdenow speciem, quam ad *P. tricurvatum* accedere nuntiavi et sub A. 4. misi.

27. *Festuca compressa* mihi.

Proxima *F. tenuifoliae*; sed culmi compressi; flosculi breviter aristati.

28. *Festuca muralis*.

In muris et rupibus ad thermas Hereulis a me lecta et sic dicta, est varietas *F. duriusculae* β . foliis glumisque pubescentibus.

29. *F. nitida* mihi.

Pro nova agnoscit etiam Willdenow, cui siccum specimen missum sub X. 21.

Radix perennis, fibrosa, vix sesquipollicaris longitudinis, pallide fusca. Culmi ex eadem radice plures, cum foliis in cespitem densum collecti, palmares, spithamaei, demum prope pedales, erecti, aut adscendentes, tenues, obtuse tetragoni, laeves, sub panicula vix notabiliter scabrinseuli, recti, aut sub panicula nonnihil flexuosi, ad, vel ultra medium tecti vaginis, geniculis binis denudatis, in lateralibus culmis infraactis distincti. Folia omnia convoluto-setacea, nonnihil compressa, omnino laevia, acutissima, culmis duplo breviora, erectiuscula, supra substriata. Vaginae teretes, calvae, laeves, substriatae. Ligula omnino brevissima, utrinque tamen auriculam brevissimam, obtusam subfuscescentem exserens. Panicula subnutans, sub florescentia patula, contracta ante et post eam secunda, ramulis inferioribus bi-trifloris, solitariis pedicellis reliquis unifloris, inferioribus lanatis, altera brevior, superioribus solitariis. Rachis subflexuosa, pedicellisque angulis scabriusculis. Spiculae ovato-lanceolatae, compressiusculo-acutae, 4-florae. Calycis valvulae acutae, muticae, margine apiceque membranaceae, calvae, laeves, dorso linea viridi notatae exterior lanceolata, interior subulata, plus quam duplo brevior exteriori. Flosculi calyce longiores. Gluma corollina exterior lanceolata, in brevem aristam acuminata, margine membranacea, dorso virens, nervis 5 obsoletis, nonnisi per lentem observabilibus notata, omnino laevis; interior apice vix notabiliter bifida, marginibus inflexa, hyalina, flexurae

angulis viridibus, laevibus. Filamenta alba, tenuissime capillacea, corolla breviora. Antherae lineares, pallide ochroleucae, utrinque bifidae. Germen obovatum minutum. Styli albi, subpubescentes. Semen Tota planta flavescens nitida et dentis rachi atque pedicellis laevissima.

Habitat in alpibus Croatiae. Floret Julio et Augusto. Sprengelio a *F. pallente* Host haud differre videtur.

β. Culmi altiores, panicula longior, magis nutans; ramo infimo plerumque e basi pedunculum 1—2-florum velut ramulum exserente. Floret sub medium Maji.

30. F. obovata mihi.

Ex itinere slavonico allata.

31. F. canescens mihi.

A *F. glauca*, cui accedit, differt: panicula nutante; spiculis 10—12-floris; ligula subnulla, minime ciliata.

32. F. remota mihi.

Radix fibrosa. Culmi subangulati, laeves, sub panicula scabriusculi. Folia radicalia setacea, culmea latiora, canaliculata, laevia, margine scabra. Panicula secunda, ramo infimo remoto.

33. F. racemosa mihi.

Pro nova agnoscit etiam Willdenow, cui eam misi sub X. 19.

34. F. Rochelii mihi vel **laevis**.

Culmus teres, striatus, laevis. Folia setacea, rigidula, glabra. Ligula biaurita. Panicula secunda, nutans: ramis patentibus (etiam post florescentiam), remotis, rachique laevibus. Spiculae 3—5-florae, muticae: glumis obtusiusculis, glabris, laevibus. A Rochel sub alieno nomine missa.

35. F. membranacea v. **albida** mihi.

Similis *F. elatiori*; sed spiculae triflorae; glumis majore parte membranaceis, albidis. E Banatu allata.

36. *F. umbrosa* mihi.

Sub nomine *F. grandis* allata e silvis Banatus.

37. *F. vaginata* mihi = *F. involuta* Moench sec. Willdenow.

38. *F. anceps* mihi.

A spiculis ancipitibus sic dicta. Tota glauca. Culmi teretes. Folia rigida. Panicula secunda. Spiculae lanceolatae.

39. *F. media* mihi.

Folia convoluto-setacea: radicalia longa, reclinata. Ligula truncata, brevissima. Culmi teretes, striati, laeves. Panicula patens, nutans, secunda: ramis inferioribus remotis, rachique flexuosis. Spiculae lineari-lanceolatae, glabrae, 5—7-florae: flosculis breviter aristatis; glumis margine membranaceis; calycibus subaristatis.

40. *F. rhomboidea* mihi.

Radix perennis, fibrosa, fusco-nigra, flexuosa, more graminum perennium aliorum superne e latere edens propagines stirpes aucturas. Culmi erecti, aut basi incurvi et geniculis 2—3 subinfractis adscendentes, pedales aut paulo altiores, teneri, teretes, striati, laeves, geniculis 4 intercepti. Folia radicalia, culmeaque latiuscula, lineari-lanceolata, acuminata, patentia, striata, supra pallidiora subcaescentia, digitum antrorsum ducendo scabra, subtus profunde viridia, inferiore parte laevia, versus apicem marginibusque scabra. Vaginae striatae, glabrae laeves. Ligula truncata, brevissima. Panicula secunda, subnutans: ramis erecto patulis, inferioribus binis, raro ternis, superioribus solitariis secunde racemoseque divisis, rachique flexuosis, angulisque scabris. Spiculae rhomboideae, compressae, saepe subrecurvae, 4—5-florae, muticae. Calycis valvulae lanceolato-

subulatae, acutae, margine membranaceae, dorso scabriusculae, exterior et inferior minor trinervius, superior 5-nervius: nervis nonnisi per lentem videndis, linea diaphana discretis. Flosculi calycem excedentes, oblongae, glumis longitudine subaequalibus, acutiusculis, margine membranaceis, exterior dorso virens, scabriuscula, subenervia, nervis vix per lentem discernendis 5, interior apice integra, ad flexurae angulos virentes scabra. Stamina vix flosculis longiora: filamentis, tenuissime capillaceis albis: antheris linearibus, utrinque bifidis, obscure purpurascens. Germen obovatum, diaphanum, styli stigmataque alba, penicilliformia. Semen . . .

Habitat in graminosis subalpinis Croatiae. Floret Augusto.

41. *Bromus asper*.

In vallibus silvaticis e. c. Budae infra Schöne Schäferin, in Bakony ad Lókut.

42. *B. giganteus*.

In silvis Cottus Zemplin e. c. ad Kohány.

45. *Secale campestre*.

Radix annua, albida, fibrosa. Culmi ex eadem radice 3 — 5, erecti, quem morem in arena etiam aliae stirpes sequuntur, declinati, raro pedem altitudine superantes, saepe spithamaei aut et breviores, glabri, infra spicam holosericeo-villosi, laeves, nitidi, teretes, versus genicula striati, tubulosi, geniculis 3 — 4 obscure fusco-rubescens interstincti, infra genicula attenuati, toti vaginis tecti.

Folia plana, linearia, vix unquam ultra 3 pollices longa, margine scabra, vaginaeque striatae, inferiora cum his holosericeo-villosa, superiora glabra, laevia: vaginae margine membranaceae, superiores sensim dilatatae, spicam sub florescentia vix totam emergere sinentes. Spica 1½ — 2-pollicaris, erecta, 12 — 15 spiculis alternis bifloris constans. Rachis anceps, utroque margine sericeo-pilosa. Glumae calycis

subulatae, conduplicato - canaliculatae carinataeque, carina linea viridi subpubescentes, ceterum membranaceae, margine interiore latiore tenuissimis sericeis villis ciliatae, apice in aristam, flexuris triplo longiorem, setaceam, scabriusculam terminatae. Gluma corollina externa lanceolato - subulata, conduplicato - carinata, dorso striis 3 viridescens notata, ceterum membranacea, carina marginibus versus apicem tenuissimis nitidis villis ciliata, arista setacea, scabra, 5-tuplo longiore terminata: interior paulo angustior, mutica, apice bifida, dorso bicarinata, sulco interjecto, linea, carinam viridi, versus apicem scabriuscula, vix per lentem subpubescens, ceterum membranacea, hyalina, glabra. Stamina tria, corolla longiora: filamentis capillaribus, tenuissimis, albis; antheris linearibus, basi bifidis, ochroleucis. Germen sericeo-villosum, breve: styli tenuissimi, pubescentes. Vaginae foliaque superiora rore detergibili glauca, inferiora canescentia. Ligula brevissima, truncata. Semen

Habitat in campis arenosis, ad Cegléd, Keeskemét, Kis-Telek, Szegedinum. Floret cum *S. cereali*.

A *S. cereali* differt: 1) statura quadruplo minore, etiam cum eodem in loco colitur; 2) culmis sub spica holosericeo-villosis; 3) vaginis superioribus dilatatis, totumque culmum tegentibus; 4) glumis calycinis longissime aristatis, margineque ciliatis; 5) glumis corollae carina nudis; 6) germinibus sericeo - villosis; 7) semine minore.

44. *Elymus Caput Medusae* horti nostri.

In Banatu nascens est *E. crinitus* Schreberi seu *Hordeum crinitum*; nam glumae ei sunt scaberrimae, quae laeves sunt *E. C. Medusae*. Ita Host in litt.

Cyperaceae.

45. *Carex stenophylla*. *C. glomerata* Host.

In spiculis infimis nonnumquam etiam flosculorum inferiorum quidam masculi sunt.

46. *C. muricata*.

Nostri e silvis est *C. muricata* Good. non Linnaei. *C. stellulata* Good. autem est *muricata* Linn. in paludibus crescens.

47. *C. convexa* mihi.

Spica composita: spiculis subsessilibus, approximatis, superne masculis, subrotundis, infima remotiuscula, stipata bractea brevissima setacea; fructibus patentissimis, nitidis, laevibus, simillimis illis *C. divulsae*: ovatis nempe, extus convexis, intus planis, marginatis, margine laevibus, apice bifidis; culmo triangulari, lateribus convexis, angulis sub spica scabris, caeterum laevibus. Folia linearia, laevia, nitida, carina et marginibus scabra. Bractea nonnumquam spiculas excedit. Habitat in pratis humidis.

48. *C. turfacea* mihi.

49. *C. subramosa* mihi = *C. nemorosa* Lumnitzer.

50. *C. paradoxa* Willd.

Est vera *C. canescens* L. fatente ipso Willdenow.

51. *C. humilis* Schreb., *C. clandestina* Gooden.

Habitat in montibus apricis Budae.

52. *C. digitata*.

Crescit in silvis. Floret sub finem Martii.

53. *C. truncatula* mihi.

54. *C. montana* Host, *C. collina* Gooden.

Habitat in montibus budensibus.

55. *C. praecox* Jacq.

Radix repens, culmis sub terra procurrentibus nonnisi altero anno radículas edentibus. Culmi bipollicares, teretiusculi. Folia hiemem perdurantia. Spicae sexu distinctae: mascula unica, terminalis, ovato-oblonga; foem. 2, alternae, breviter pedunculatae, masculae approximatae, eadem triplo minores. Squamae ovato-lanceolatae, pallide ferrugineae. Vaginae ovato-lanceolatae, albo-membranaceae. Stamina Germe nudum.

Habitat in clivis Pesthini, in collibus et montibus apricis Budaë. Floret sub finem Martii.

56. *C. emarginata* mihi.

Radix non videtur repens, radículas palmares, spithamaeas, angulatas, flexuosas, fuscas, latere fibris instructas demittens. Culmi sub florescentia palmares, subspithamaei, dein spithama longiores, debiles, trianguli: angulis laevibus, lateribus striatis convexiusculis. Folia angusta, planiuscula, subcarinata, laevia, striata, nuda, margine scabriuscula, culmis breviora, erecta. Spicae 2, rarius 3: mascula terminalis, unica, triplo longior foeminea, teres, acuta, inferne attenuata: squamis purpureo-atris, dorso linea viridi, demum fusciscente notatis, inferne angustioribus albis, apice emarginatis cum vel sine interjecto mucrone; foemineae sessiles, plerumque unica masculae approximata, aut 2, altera remotior, superior ovata, inferior ovato-oblonga: squamis similibus. Bractea spicam foem. stipans subulata, margine atro-purpurea, jam spica longior, jam brevior. Stamina 3; filamentis squamas vix superantibus, capillaribus, albis; antheris prope aequilongis, acutis, flavis. Germe ovatum, villosum, extus convexum, intus planiusculum cum prominentia in medio; styli tres, nudi. Capsulae obtuse triangulae, basi angustatae, apice vix pro-

minulo emarginato subbidentatae, extus villosae, squamis subaequales aut paulo longiores.

Habitat in graminosis silvaticis siccis. Fl. Aprili. Spicae masculae non raro binae, spica foem. superior nonnunquam apice mascula.

57. **C. coarctata** mihi.

58. **C. semicylindrica** mihi.

59. **C. pusilla** mihi.

60. **C. flavae** affinis.

Radix fibrosa, alba, minime reptans. Culmi plures ex eadem radice in caespitem densum, minoribus tamen fasciculis, collecti, 4-pollicares, firmi, exacte triquetri, ad medium usque tecti vaginis foliorum. Folia lata, carinata, inferiora culmi 1—1½-pollicaria, superiora culmo longiora. Spicae sexu distinctae: mascula unica lineari-oblonga, acuta, triquetra: foemineis 2, raro 3, ovatis: summa masculae approximata, sessili, altera ad ½ pollicem remota, pedunculata, pedunculo erecto, firmo; tertia adhuc remotiore longiusque pedunculata, hac ratione omnes subcontiguae. Bractea masculae spicae subjecta, setacea, spicae longitudine; foemineis spicis subjectae foliis aemulae, summa brevior, spicam tamen multoties excedens; reliquae longiores, foliorum apicem attingentes, omnes, ut folia conduplicato-carinatae, canaliculatae. Squamae acutae, margine membranaceo albo, in masculis fuscescente, in foemineis spicis vix longitudine germinis. Germina sub florescentia capsulaeque divaricatae. In uliginosis turfosis Pesthini. Majo floret.

61. **C. obtusa** mihi.

62. **C. longifolia** mihi.

63. **C. foliosa** mihi.

64. **C. pilosa.**

Hanc ob defectum pilorum pro nova primum habitam **C.**

nigricantem nominavi. Culmus inferiore parte acute triangularis, villosus, inter spicas foem. superiora versus calvescens, suprema parte sub spica mascula pubescens, obtuse striato-angulatus. Vaginae glabrae, substriatae, inferne margine membranaceo in folii paginam superiorem excurrentes, ac velut in ligulam membranaceam adnatam continuatae. Folia rugulosa, striata, glabra, ciliata, pilis inferioribus longioribus. Pedunculi spicarum foem. striati, villosi, etiam inter flosculos remotos. Spicae foem. apice saepe masculae, squamae margine membranaceo pedunculum cum germine amplectuntur, acutae, glabrae, laeves, carinatae, dorso virides. Capsulae striatae, laeves, glabrae, apice basique attenuatae, subincurvae. Styli tres.

65. **C. prolifera** vel **paradoxa** vel **conglobata** mihi, an *nitida*?

Radix repens, vaginis fuscis demum in fibras resolvendis tecta, radículas obscure fuscas, flexuosas, ramosas, in fine fibrose divisas, fibrisque vestitas demittens. Culmi spithamaei aut paulo altiores (sub initium florescentiae), dein elongandi, triangulares, lateribus convexiusculis striati, laeves, inter spicas angulis aculeato-scabri, ad $\frac{1}{4}$ vaginis foliorum tecti. Folia congenerum supra canaliculata, subtus carinata, striata, culmum subaequantia; dein hoc exescente breviora, nuda, nitida, glabra. Vaginae triangulares, striatae, sinu rotundato in folium terminatae. Spicae sexu distinctae; mascula unica terminalis; oblonga, superne nonnihil crassior, ante florescentiam obtuse triangularis, acuta: foemineae tres, remotae: suprema masculae approximata, minor, brevissime pedunculata, subovata, vagina membranacea oblonga mucronata, margine albida, dorso aculeato-scabro viridi, penes hoc utrinque fusca, superne ad latus mucronis utrinque obtusa seu rotundata, nonnunquam mucrone destituta, ad originem pedunculi cincta.

Pedunculus hujus (quod mirum) plerumque emergit e germine inflato ore hiante, saepe etiam stylis instructo. Reliquae spicae foemineae oblongae, longius pedunculatae, erectae (omnes); pedunculis triangularibus, angulis aculeato-scabris, cinctis vagina membranacea albida, dorso viridi in folium excurrente, quod ad infimum pedunculum reliquis simile est et longum, spicam masculam adaequans aut excedens, in altera brevius, subulatum. Squamae oblongae, dorso viridi-carinatae, versus apicem scabriusculae, utrinque pallide fuscae, marginibus albo-membranaceae: spicae masculae lanceolatae, inferiores obtusiusculae, superiores acutae; foemineae ovato-lanceolatae, acutae. Stamina terna: fil. albis, capill. squama longioribus; anth. linearibus acutis, pallide flavis. Germen ovatum, scabriusculum, extus convexum, intus planiusculum; styli 3, capill. subpubescentes. Capsulae germinibus similes, subinflatae, ore brevissime bidentatae, squamis breviores, inferiores remotiores. Fl. Maji initio.

66. *C. nitida* Host gram. Aust. i. t. 71.

Spicas foemineas tribus plures nunquam vidi. Fl. Aprili in collibus siccis Pesthini et in montibus apricis Budae.

67. *C. bifida* mihi.

68. *C. angustifolia* mihi, an *C. longifolia* Host.

Radix primaria oblique transversa, nempe per propagines in culmos continuata, fusca, culmo tritici tenuior, radículas tenues, pallide fuscas, fibrose divisas demittens. Culmi debiles, debilitate subnutantes, sub florescentia palma non multo longiores, demum subpedales, triquetri, nudi laeves, lateribus striati, angulis superiore parte scabri, tantum basi foliorum vaginis tecti. Folia angusta (vix lineam latera), pedem longitudine aequantia, quin plerumque longiora, planiuscula, perparum supra canaliculata, subtus carinata, utrinque nuda, striata, glabra, marginibus scabra. Vaginae obtuse triangu-

lares, striatae, laeves, antice rotunde emarginatae, margine membranaceo pro ligula ad basim folii oblique prominentes. Spicae sexu distinctae; mascula unica, terminalis, erecta, oblonga, inferne attenuata; foemineae plerumque 3, suprema minima paucis (3—4) flosculis constans, nonnumquam supra supremam adhuc flos solitarius adest, ut spica suprema, sessilis, reliquae breviter pedunculatae, oblongae. Squamae masculae lineari-lanceolatae, cuspidatae, inferiores obtusae, inferne angustatae, dorso virentes, apice et lateribus fuscescentes, nudaе, laeves, convexae; foeminearum ovatae, cuspidatae, subcarinatae, carina virides, lateribus fuscae, nudaе, capsulas aequantes, aut cuspide parum excedentes. Filamenta capillaria, squamis breviora: anth. . . . Germina subrotunda, tomentosa; styli tres, subpubescentes. Capsulae subrotundo-ovatae, ore bidentatae, tomentosae. Semen obtuse triangulare, lateribus convexiusculum. Habitat in graminosis silvaticis Budae? Fl. initio Maji. — Folia spicas foemineas stipantia his longiora, infimum reliquis simile, in brevissimam vaginam connatum, reliqua angustiora, inferne lateribus membranaceis dilatata, amplexicaulia. *C. longifoliae* Host capsula est ore indiviso.

69. *C. diversiflora*, *C. alpestris* Sp. Pl.

Habitat in graminosis silvaticis Budae; floret sub finem Aprilis.

70. *C. exaltata* mihi.

Radix . . . Culmi tenues, debiles, subnutantes, jam sub florescentia 2 spithamas aequantes aut superantes, demum subbipedales, triquetri, striati, laeves, angulis obtusiusculis, ad $\frac{1}{3}$ tecti foliorum vaginis. Folia vix ultra 2 lineas lata, carinata, striata, marginibus per totam longitudinem, carina versus apicem, aculeis sursum versis scabra, caeterum laevia, nuda. Vaginae argute triquetrae, striatae, angulis sub

folio aculeato-scabris. Ligula albo-membranacea, oblonga obtusa. Spicae sexu distinctae: mascula unica, terminalis, oblonga, basi attenuata, hic non raro foemineae 3, remotae a spica mascula et se invicem, pedunculatae, erectae, filiformes; pedunculi subangulati, tenues, vaginis toti conclusi, infimus circiter pollicaris, supremus brevissimus. Folia spicas foemineas stipantia reliquis similia, inferiora spicis multo longiora, supremum angustissimum spicam subaequans. Vaginae ut in reliquis foliis, antice membranaceae, in ligulam membranaceam terminatae. Squamae spicae masculae laeves, dorso virentes, lateribus membranaceae, fuscae, inferiores oblongae, acuminatae; spicarum foeminearum ovato-lanceolatae, acuminatae, carinatae, carina viridi, superne scabra; lateribus albidis membranaceis, acumine triangulo, angulis scabro.

Stamina terna: fil. albis, capillaribus, squama longioribus; antheris linearibus, submucronatis. Germen squama brevius, oblongum utrinque angustatum, dorso convexiusculum, intus planum, laeve, nudum, apice bifidum, basi fuscescens. Styli terni, pubescentes v. bini. Capsulae Habitat In horto floret sub Maji medium. Squamae foem. ad basin mucronis utrinque incisae, unidentatae, fere ut in Bromis.

71. *C. pubescens* mihi v. *ciliaris*.

Utroque nomine jam aliae insignitae sunt. Radix Culmi caespitose crescentes, palmares, erecti, acute triquetri, striati, angulis ciliati, asperique, cum $\frac{1}{4}$ vaginis tecti, ad pedem demum elongandi. Folia congenerum, culmis longiora, carinata, striata, carina marginibusque scabra, supra nuda, subtus pilis rarioribus adspersa, crebrioribus ciliata. Vaginae triangulares, pubescentes, striatae, ligula vaginante, antice excisa brevi terminatae. Spicae sexu distinctae; mascula unica, terminalis, erecta, oblongo-ovata; foemineae pedun-

culatae, sub florescentia apice se attingentes, erectae, oblongae; pedunculus infimus spicam subaequans, supremus brevissimus. Folium infimam spicam stipans, masculam excedens, reliquis simile, alterum spicam masculam subaequans, subulatum, subnudum, tantum paucis sed longis aliquot pilis subciliatum, utrinque basi in vaginam brevem connatum; supremum spicam suam subaequans, angustissimum, basi utrinque margine membranaceo-dilatatum. Squamae spicae masculae lanceolatae, cuspidatae, laeves, nudaе, dorso pallide virentes, margine membranaceae, albidae; spicarum foem. ovato-lanceolatae, cuspidatae, subcarinatae, dorso virides, margine membranaceae, albidae. Germen obovatum, obtusum, vix notabili mucrone instructum, inflatum, dorso convexum, intus planiusculum, squama brevius. Styli terni, nudi, squamis breviores. Capsulae inflatae, obovatae, obtusae, laeves, nitidae, nudaе, substriatae, squamas aequantes. Semen oblongum, triquetrum, superne paulo crassius, fuscum. Habitat in alpibus carpaticis. Floret in horto sub finem Maji. *C. inflata*, *physodes*, *carpatica* dici posset.

72. *C. pygmaea* mihi.

73. *C. tenuis* Host, *C. brachystachys* Schkuhr.

Habitat in alpibus carpaticis. *C. gracilis* mihi.

74. *C. setacea* mihi.

75. *C. villosa* mihi.

76. *C. recurva* minor.

Fors distincta species, triplo minor vulgari: culmo omnino laevi, etiam sub spica foeminea infima, tantum inter spicas margine scabriusculo, inferne tereti, superne obtuse triangulo; spicis masculis approximatis, foemineisque duplo brevioribus tenuioribusque; squamis capsula brevioribus obtusis (nec longioribus cuspidatis); spicarum masularum obtusis latioribus. Herba glaucescens. Hab. in pratis humidis Pesthini.

77. C. acuta.

Squamae spicarum mascularum et foem. saepe obtusae sunt, nec acutiusculae, quales describuntur et pinguntur in Hostii Gram. Aust.

78. C. aristata mihi.**79. Scirpus acicularis.**

In ripis Tibisci ad Szegedinum, infra praedium Hatrongyos.

80. Cyperus glomeratus Host gram. Austr. iii. t. 71. *C. australis* Schrad. germ. i. 116.

Sec. specimen per Willdenow communicatum videtur *C. glomeratus* L. a nostro diversus esse.

81. C. pannonicus.

Habitat ad Peisonem lacum, in C. Csanád., versus Szegedinum, in Banatu prope Danubium.

Alismaceae.

82. Triglochin maritimum.

In pratis et pascuis humidis Cottus Pesthiensis, Scepusiensis et Liptoviensis e. c. ad Bessenova.

83. Scheuchzeria palustris.

In uliginosis sphagno repletis circum stagnum in Dumitru cum *Vaccinio uliginoso* et *Oxycocco* atque *Drosera rotundifolia* et *Andromeda polifolia*.

84. Alisma Plantago.

In fossis, rivis lente fluentibus, stagnis. i. cordata foliis cordatis, ii. elliptica foliis ellipticis, basi in petiolum attenuatis, apice obtusis. Circum stagna in campis. β . lanceolata, foliis lanceolatis, utrinque angustatis, apice plus minus saepe acuminatis, obtusiusculis, quandoque sublinearibus, caule prope pedali, et vix 2 pollicibus longioribus. In uliginosis et

coenosis ad Balatonem, in Cottu Jaurinensi (?) ad Böny versus Sz. Iván, in Banatu ad Beregszó in coeno rivi lenti, qui sub nomine hujus pagi Bruckenau defluit, alibique etiam Pesthini in Rákos veteri et in silva Pomasziensi, ubi aqua locis depressis stagnat. γ . *minima*. Foliis lanceolato-linearibus; caule bi-tripollicari, 2 — 4-floro. Ad Balatonem cum majoribus, et in inundatis sabulosis Danubii in Banatu ad Dubovác cum *Scirpo aciculari* et *Cypero pannonico*.

85. *A. parnassifolia*.

Praeter scapum erectum aut adscendentem saepe praefert breviorum declinatum aut recurvum. In palude non procul Essekino.

86. *A. ranunculoides*.

In Hungaria lecta, sed ubi non memini.

Juncaceae.

87. *Luzula pilosa*.

Ad Sz. Ivan in Cottu Liptoviensi, unde etiam ab Oper-schall; e Scepusio a Mauksch. Variat culmis brevioribus (saepe spithamam non aequantibus) et longioribus (pedalibus altioribusve) foliis plus minus latis, pilosisque. Pedunculi uniflori, quales in definitione ponuntur. Ad lacus Plitvicenses in silva reperi foliis angustioribus, floribus paniculatis. Sub nom. *J. vernalis* missum a Genersich.

88. *L. intermedia*. *Juncus intermedius* Host gram. Austr. III. t. 99. p. 63.

A Mauksch missus sub nom. *Junci silvatici* Host. Floret Junio in der kleinen Kohlbach. Flores pedunculati. Pedunculi 1 — 2-flori. Bractee et calyces ciliati. Petala lateribus inflexis mucronata.

89. *L. maxima* Willd. en. pl. h. ber. 1. p. 393. *Juncus pilosus* δ . Sp. Pl. L. *J. maximus* Sp. Pl. Willd. t. 2. p. V. 211.

In humidis Carpati, Scepusii et Liptoviae, in rivulo ad speluncam calcaream pone Rézbányam.

90. *L. spadicea*.

In alpibus Scepusiensibus, Zoliensibus e. c. in summitate alpium Kunstava, Liptoviensium in Krivan. A Mauksch saepius missa semel sub nom. *J. Jacquini*. Variat foliis omnino glabris, nec ciliatis, ut Host post Villars., Allion. et Hallerum in definitione ponit. Herba sub exsiccationem communiter fuscescit. In alpe Petrosa, prope nivem pumilam legi, vix tripollicarem, foliis subciliatis. In Pop Iván autem occurrit major, paniculae ramis elongatis, patentibus, laxis, pedunculis 2—3-floris, et unifloris, foliis et bracteis ut in pumila.

91. *L. carpatica* mihi.

Culmi prope sesquipedales, striati, glabri, laeves, tenues, excepta apice vaginis tecti. Folia subtripollicaria, linearia, angustiora quam in *spadicea*, striata, glabra, laevia. Vaginae striatae, glabrae, laeves, ad os pilis aliquot longis, albis obsitae. Panicula composita, ramis simplicibus, divisisque in 2—3 pedunculos, 2—3 flores, floribus, ubi bini sunt, brevissime pedunculatis. Involucrum folium unicum, panicula brevius, striatum, basi subciliatum, caeterum glabrum. Bractee divisionem pedunculorum stipantes oblongae, acuminatae, membranaceae, subciliatae, superiores breves, calycisque phylla glabra, ovata. Petala (in sicco) nigro-fusca, lanceolata, acuta, vix mucronata. Differt ergo a *C. spadicea* herba non fuscescente; caule tenuiore, altiore; foliis angustioribus, panicula minus composita: bracteis superioribus calycibus nudis; petalis acutis; pedunculis 1—2-floris. A *C. parviflora* differt vaginis ore pilosis, pedunculis etiam 2-floris: foliis angustioribus, quae latiora quam in *spadicea* esse adserit Willdenow; corymbo divaricato. In der kleinen Kohlbach von

Mauksch im Juni gesammelt, qui etiam pro nova aut saltem ignota specie declarat.

92. *L. albida*.

Corymbus non semper foliis brevior: petala non sunt mucronata, verum acutissima, in sicco marginibus; subinvolutis mucronem mentientia, huic etiam ab Ehrhart acuta non aristata dicuntur, et ab Host ita pinguntur. Praeterea apud nos radix repens, ut etiam ab Host pingi videtur, apparet esse. Host tamen lignescens ramosam dicit. Petala subaequalia. Ergo definitio mutanda. Radix repens. Semen brevissime mucronatum altero latere planiusculum. Habitat in silvaticis montosae Hungariae e. c. in Dumitru, Piatralnesi, aliisque locis sub alpe Rosály; in m. Guttin, Izvoru-Kailor, Scepusio, ad viam Carolinam, in Croatia, in Banatu, Matra, in Polyana Semenye pone Nagy Bányam, Budae pone Schöne Schäferin, in Muraköz, in montibus Maróthiensibus et Strigonii. Neque in panicula semper est magis composita, quam in *L. nivea*. In silva ad Herlein talis erat. In umbrosis superioris partis districtus Muro-Dravani (Muraköz), panicula fuit laevis, ramis pedunculisque patentissimis. Flores quandoque rubro-fusci, alias albi. Sub n. 67. missum a dno. Szontag.

93. *L. albida?*

Foliis latioribus, corollis fuscis, culmo ex axilla folii infra paniculam ramifero, qui casus tamen etiam in illa foliis angustioribus et corollis albis, licet rarius, obtinet. Rochel scribit, hunc in omnibus alpebus Carpati occurrere, frequentius in Kralovahora, et *Junci cuprini* nomine distinguit. Petala minus acuta.

94. *L. nivea?*

Primo intuitu quidem videtur a *L. albida* differre ob petala minus acuta, et bracteas seu calyces duplices, qui petala

duplo breviora mentiuntur; sed accuratius inspecta praeter hos sex petala subaequalia exhibet. Mauksch misit sub nomine *Junci nivei*. Junior paniculam contractam, senior patulam laxam exhibet. In nemoribus Scepusii.

95. **L. nemorosa?** *Juncus nemorosus* Host iii. t. 97?

In Hungaria a me, nescio ubi, lecta, et a Mauksch sub nom. *Junci spadicei* missus cum nota: sed varius, si non ignotus; *J. spadiceus* enim est niger. In alpihus.

96. **L. campestris.**

A Szontag sub n. 20, qui initio Maji florere notat; a Mauksch, qui in pascuis praealpinis rarius occurrere notat. In alpe Plissivica et graminosis Budae etc. Pumilam vix pollice altiore[m] Rochel cum?

97. **L. sudetica.**

In alpihus Scepusii et Liptoviae, atque in Rosály, alpihus Scepusii, Kriván, Bereghiensibus. Occurrit spica solitaria nec semper spica media sessilis. Hanc pro varietate *L. campestris* habet Wahlenberg.

98. **L. spicata.** *J. spicatus* L.

In alpe Kriván cum *L. sudetica*, ad quam per varietates accedit, ita, ut vix diversam esse suspicatur, quam suspicionem auget in horto a seminibus exoticis cultus. Hanc Wahlenberg in Kriván non observavit.

99. **L. pilosa.**

Caeterum conveniens sed petala manifeste mucronata. In Bakony non procul Papa.

100. **Juncus conglomeratus.**

In fossis et uliginosis, e. c. Pesthini, in palude Eesediensi Láp, a Mauksch sub nom. *J. filiformis* una cum *effuso* missus, a dom. Szontag sub n. 52, qui eum Junio ad ripas Hernandi florere scribit.

101. J. effusus.

In fossis, stagnis, uliginosis, e. c. in Feketető stagno Matrae, Pesthini, ad fluvium Hernád in Scepusio unde a dom. Szontag sub n. 53 et 54, in silvis locis depressis e. c. in Mecsek et Sz. Jakabhegye ad Quinque Ecclesias etc. Sed capsulae triangulari-obovatae, truncatae, nec clavatae, quales post Rostkovium Willdenow dicit in Enum. pl. h. her.

102. J. glaucus.

Ad rivos Scepusii Julio a Mauksch, ad Hernádum a dom. Szontag sub n. 55.

J. glaucus?

In pascuis arenosis humidis potissimum, *J. effuso* tenuior, panicula erecta; petalis longioribus differens. An culmus hic glaucus et apice inflexus, non distinguo in sicco. Conf. cum fl. dan. t. 1159. Convenit icon Hostii, qui notat, aliquos tantum culmos inflexos esse.

103. J. inflexus?

Sub hoc nomine misit dom. Genersich sed absque apice culmi, ut adeo dici non possit, an sit inflexus, cui suprema pars culmi non teres, sed instar folii compressa, notante Willdenow.

104. J. filiformis.

In udis alpinis Scepusiensibus et Arvensibus.

105. J. filiformis?

Ad rivos in Scepusio, Julio a Mauksch, et ex alpibus Cottus Arvensis Genersich misit cum quaestione: an *Scirpus setaceus*, sed alia vice etiam sub nomine *J. filiformis*. Culmus subbipedalis, supra flores longius extensus, quam infra hos, erectus, striatus, laevis, simplicissimus, aphyllus, basi rubro-fuscus, tectus vaginis aliquot muticis, inferne fuscus. Flores laterales pauci, dense conferti, sessiles. Petala et bracteae conformes, lanceolato-subulatae, acuminatae, longi-

tudine aequales, uno horum inferiores longiores: Est ergo omnino diversus, cum *Junco filiformi* bracteae seu calycis foliola sint multo breviora petalis. In speciebus plantarum et flora britannica calyx dicitur 6-phyllus, corolla nulla, in Enum. pl. h. ber. calyx dicitur nullus, cor. 6-petala. Utrumque videtur erroneum; rectius Host in plerisque calycem diphyllum statuit. *Juncus arcticus* mihi scribit Maukseh videtur esse *J. filiformis*.

106. J. trifidus, J. monanthos Jacq.

In alpinis Scepusii, Arvae, Marmatiae (in Petrosa), Cottus Zoliensis. In Petrosa supra nives floribus 2—3.

107. J. articulatus.

Petala mutica, sed non obtusiuscula; Smith acuminata dicit. In aquosis. Sub n. 59. a Szontag. Varietatem digitalem legi ad acidulas Csernienses in prato pro *J. silvatico*.

108. J. obtusatus mihi.

Videt omnino diversus esse culmo erecto, striato, vagina ultra medium tecto: folio caulino plerumque unico (raro 2) remote subnodoso, tereti; bracteis petalisque obtusis. Culmus sesquipedalis, teres, striatus, glaber, laevis. Panicula supra-decomposita. Involuceri vaginae in breve subulatum folium terminatae, involucella lanceolata, acuta, bracteaeque albo-membranaceae, uti petala. Non memini ubi legeram.

109. J. silvaticus.

In nemoribus humidis, pratis udis, ad rivos montium e. c. ad Alsó Homorod in Cottu Szathmár., in Scepusio a dom. Szontag sub n. 57 et 58, qui ad Hernádum legit, in Banatu.

110. J. subverticillatus.

Culmi decumbentes. Folia subulata, subnodosa. Corymbus di-trichotomus, capitula 4 — 5-flora, bracteata: bracteae binae exteriores majores ovatae, acuminatae, concavae,

interiores minores, omnes membranaceae. Habitat ad Balatonem, Wulfenii planta est eadem, quae Hostii, tunc synonymon huc non pertinet: icon enim Hostii, qui nullam mentionem nodorum in foliis facit, et specimen siccum diversam plantam ostendunt.

111. J. bulbosus.

In humidis pascuis, pratis ad paludes et lacus, e. c. in humidis Pesthini, in Scepusio, Rovnye, in Banatu, ad Heves, ad Balatonem prope Sió Fok. Rochel sub no. 368. quae-rit an *J. bulbosus*. A digitali ad 1½ pedalem altitudinem variat.

112. J. parviflorus mihi. **J. bracteosus** mihi.

E rivo Solymosiensi. Radix perennis, primaria transversa, tritici paulo crassior, fusca, radículas albidas filiformes, flexuosas copiosas demittens, densum culmorum caespitem nutriens. Culmi erecti, sesquipedales, simplicissimi, ad vel ultra medium vaginis foliorum tecti, striati, in siccis speciminibus compressi, glabri, laeves. Folia planiuscula, canaliculata, angusto-linearia, striato-sulcata, glabra, laevia, superiora flores excedentia. Vaginae sulcato-striatae, glabrae, laeves, superiore parte marginibus membranaceae, obtusae. Panicula terminalis supradecomposita, pedunculis inaequalibus stipata, vaginisque in folia longa, caulinis similia tensis, et interdistincta aliis brevioribus, brevius foliatis. Bracteae albo-membranaceae, inferiores acuminatae, superiores obtusae. Flores nondum bene evoluti erant. Willdenow misit sub nomine *J. squarrosi*, qui *J. bulboso* pariter affinis est. An *J. bracteosus* meus per aetatem *J. bulbosus* fiat, videndum; bracteae videntur discrimen innuere. Sub nomine *J. parviflorus* jam specimen e Lapponia descripsit Ehrhart.

113. J. bufonius.

Ad Hernádum, unde a Szontag sub n. 27. alibi in humidis

Scepusii a Mauksch, in sabulo humido ad Danubium, Rákos alibique Pesthini potissimum in silvis, ubi aquae meteoricae in locis depressis adhaerent. Etiam in Slavonia legi. In sabulo Szomodiensi humido reperi vix pollicarem.

β. *longiflorus*; ad rivulos C. Trenchinensis lectus a Rochel, etiam in udis montanis. Hic eidem a *J. bufonio* diversus videtur.

Melanthiaceae.

114. *Tofieldia palustris* Willd. in Magaz. d. Gesellsch. naturf. Fr. zu Berl. 1808. p. 28. prius *Helonias borealis* et *Anthericum calyculatum*.

In alium Scepusiense ruderibus, in Kriván, in croaticis Szilág, Jadrina Polyána, Badány, Plissivica. E Szulov fructificantem caule pedali misit Rochel sub n. 411. et? Mauksch scribit „si non *Melanth. sibiricum* nescio quid sit.“

115. *Uvularia amplexifolia*.

In alpe Plissivica Croatiae.

116. *Bulbocodium vernum*.

Habitat ad Debrecinum locis silvaticis. Floret Martio, ejus mensis 20ma a. 1812 plantam vivam et florentem accepi ab A. R. D. Diószegi.

117. *Colchicum autumnale*.

In prato plano ad Varasdinum versus Dravum medio Majo inter plantas plerasque tum fructificantes reperimus aliquot florentes, flore solitario longe tubuloso inter folia prominente.

118. *C. arenarium*.

In arenosis. Willdenowio videtur esse verum *C. montanum* L. Schultes schreibt aus Landshut, den 31. December 1811, nachdem er die Reise nach Paris gemacht hatte und viele Sammlungen sah: „*Merendera Bulbocodium* Ramond

ist Ihr *C. arenarium*." Der Character generis wird in der Fl. gallica von Loiseleur nach Ramond so angegeben: *Merendera*. Cor. 6-petala, campanulata: unguibus longissimis. Stam. unguibus inserta. Antherae sagittatae. Capsula trilobata, trilocularis. *M. Bulbocodium* flore solitario aphylo, foliis linearibus post florescentiam. Ramond Bull. in Act. Philom. n. 47. t. 12. f. 2. (*Colchicum montanum minus versicolore* flore Clus. hist. S. 231.) Habitat in Pyrenaeis. Nach dem Recensenten der Fl. gallica in der Allg. Lit. Ztg. 1811. n. 150 unterscheidet sie sich vom *Bulbocodium* durch eine glockenförmige Krone, 3 Pistille und eine dreilappige Fruchtkapsel, die an der innern Seite aufspringt; von *Colchicum* durch eine 6-blättrige Krone und 3-lappige Kapsel, oder eigentlich durch 3 Kapseln, die nur unterwärts verwachsen sind. Die kleinen Blumen sind hell purpurfarbig. *C. arenarium* ergo differt a *Merendera*: corollae limbo 6-partito erecto (nec cor. 6-petala, campanulata unguibus longissimis); staminibus tubo corollae, nec unguibus insertis. Folia non post florescentiam, sed vere emergunt. Capsula trisulcata, nec trilobata, seu tribus inferne cohaerentibus; bulbo obliquo, basi oblique truncato; antheris oblongo-cordatis, nec linearibus (ut in *Merendera*); staminibus laciniis corollae triplo brevioribus, nec limbo petalorum vix duplo brevioribus.

Liliaceae.

119. *Erythronium Dens Canis*.

In nemoribus locis pinguibus atque succulentis Comitatum Sümeghiens., Marmarosiens. et Szatmáriens.

120. *Fritillaria Meleagris*.

In pratis humidis ad Eszekinum locis udis; cum *Fumaria bulbosa*, *Lilio Martagone*, ad Vécs sub Matra 1—2-pedalis altitudinis.

121. *Lilium bulbiferum*.

In Croatia in pratis silvaticis infra Merkopál et Fusine, atque ad Korenicam.

122. *L. chalcedonicum*.

Ad Korenicam cum *L. bulbifero*.

123. *L. Martagon*.

In silvis Budensibus, Sümeghiensibus, Syrmiensibus, Marmarosiensibus, Szatmáriensibus.

124. *L. alpinum* mihi.

A Mauksch missum sub nom. *L. chalcedonici*, *Martagoni* affine, sed folia sparsa et petala linearia. Caeterum caulis erectus, glaber, laevis, simplicissimus. Folia lato-lanceolata, integerrima, acuminata, apice obtusa, basi in petiolum angustata, obsolete 5—7-nervia. Flores alterni, pedunculati, bractea lanceolata. Petala quantum in sicco videre licet, reflexa seu recurva, intus maculata, apice obtusa, pubescentia. Habitat in alpihus Scepusii ad *Pinum Pumi-tionem*.

125. *L. pubescens* mihi, an *L. bulbiferum* M. B.

Caulis erectus, simplicissimus, striatus, brevissimis pilis pubescens. Folia sparsa, in medio caulis conferta, lato-lanceolata, utrinque angustata, apice obtusiuscula, supra glabra, subtus perparum pubescentia, obsolete nervosa. Flores in apice caulis plures, alterni, pedunculati, bracteis lanceolatis stipati. Petala lanceolata, quantum in sicco videtur, patula, non recurva, apice obtusa et pubescentia, intus maculata. E Comitatu Arvensi adlatum a Com. Waldstein.

126. *Hyacinthus comosus* (nunc *Muscari comosum*).

In agris et pratis passim.

127. *H. botryoides* (nunc *M. botryoides*).

In insulis danubialibus mox post *Scillam bifoliam* Aprili, in alpihus Velebich ante Junium (ni fallor) floret.

128. **H. racemosus** (*M. racemosum*).

In agris, vineis, hortis.

β. *tenerior*, floribus summis, etiam pedunculatis, sterilibus, oblongis.

129. **Scilla pratensis.**

Ad Korenicam in pratis.

130. **S. bifolia.**

In insulis Danubii et in Syrmio.

131. **S. autumnalis.**

Ad Inotam, Palotam, Fured.

132. **Ornithogalum villosum** mihi v. *O. carpaticum*.

Bulbus ovatus simplex. Folium radicale unicum, lineare, angustum, glabrum, scapo plerumque longius. Scapus digitalis aut paulo longior, breviorve, glaber, laevis, folio a pedunculis remoto latiore (quandoque sublanceolato), glaber, flores aequante aut excedente, raro breviorve instructus. Pedunculus 1 — 3-, raro 4-florus, floribus alternis; duobus tribusve foliis linearibus, angustissimis, alternis subpubescentibus instructus, inferne tenuissime subpubescens, superne glaber. Petala angusto-lanceolata acuta, flava extus viridescencia, glabra. Filamenta omnia linearia innotat Mauksch. Floret eodem ac *Galanthi nivalis* tempore et loco. Alia vice idem misit cum nota, non esse *O. bohemicum* et in subalpinis Junio florere; etiam Genersich misit sub nom. *O. mini*. Folia tam radicalia quam caulina apice callosa, hinc et callosum dici posset. Ab *O. spathaceo* differt floribus non umbellatis, involuero, nectariphylo, ab *O. bohemico* autem discrepat: foliis linearibus (nec lanceolatis) radicalibus, petalis acutis, nec obtusiusculis.

133. **O. pusillum** M. B. taur.-cauc. *O. triquetrum* v. *tetraquetrum* mihi. *O. pannonicum luteo flore* Clusii hist. i. p. 189.

Habitat in campis arenosis, imprimis prope Pesthinum.

134. **O. luteum** est *O. villosum* M. B. fl. taur. cauc. n. 676. p. 274. *O. minimum* Sp. Pl. ed. Willd. II. p. 114. Roth germ. II. p. 394. Schmidt bohem. n. 338. Gouan ill. p. 26. n. 2.

Habitat in graminosis, etiam arenosis.

135. **O. tenue** mihi.

Ad Baracska sub finem Maji. Petala alba, extus viridia dorso. Folia angusto-linearia.

136. **O. refractum** mihi.

Bulbus magnus (nucem juglandis magnitudine plerumque excedens), depresso-ovatus, tuberculatus, sub cuticula seu pelle alba a basi ultra medium nudis bulbillis, proximo anno pelle rupta separandis obsessus, ipse constans squamis admodum crassis, carnosis, mucilagine copiosa excolore turgidis, basi emittens fascem magnum radicularum albarum, filiformium, flexuosarum, 2—3-pollicarium. Scapus erectus, teres, firmus e terra perparum emergens, infra hanc 2—3-pollicaris, albus, extra eam viridescenti-albidus. Folia, si a bulbo mensurantur, scapo plus quam duplo, si a terra, triplo longiora, successive versus apicem latitudine decrescentia, sub terra attenuata; subtus convexa, subsulcato-striata, in medio sulco linea alba nitida instructa. Flores in racemo oblongo, erecto 15—25, pedunculis sub anthesi erecto-patulis, post eam patentissimis, demum cum fructu refractis, apice incurvo; nonnihil incrassato fructum erigentibus, basi in articulum tumidum incrassatis. Bractee sub florescentia pedunculos aequantes, imo in superioribus excedentes, demum pedunculis elongatis paulo breviores, amplexantes, lanceolatae, membranaceae, albidae, pedunculis applicatae. Petala elliptica, obtusa, exteriora apice marginibus conniventibus obtuse brevissimeque submucronata, alba, dorso viridia, erecto-patula.

Stamina alterna breviora: filamentis lineari-subulatis, albis, alternis paulo angustioribus; antheris linearibus, pallide flavis, erectis, dorso apici filamenti affixis. Germen ovatum, sulcato-sexangulum, flavescenti-viride. Stylus staminibus brevior, filiformis, albus. Stigma obtusum, flavescens. Capsula rarissime ad maturitatem perducitur, similis illi *O. umbellati*. Habitat in graminosis. Floret Aprili in Majum. *O. umbellato* simillimum, sed diversum: bulbo multo majore; scapo crassiore e terra vix emergente.

137. *O. pyrenaicum*.

Secundum descriptionem Smithii omnino est illud, quod apud nos in pratis et agris frequens; Smith etiam in pascuis et collibus crescere dicit. Perperam igitur Wolny negat esse *O. pyrenaicum*.

138. *O. nutans*.

Sub finem Aprilis in pomariis, vallibus silvaticis.

139. *Allium Ampeloprasum*.

In Syrmio inter vineas.

140. *A. rotundum*.

Definitio convenit. Sed etiam *A. Ampelopraso* petala carinato-scabra. An forsitan idem. Habitat Posonii juxta Danubium usque Devenum ad vinearum margines. Lumnitzer.

141. *A. Victorialis*.

In alpibus Bereghiensibus, in alpe Plissivica et sub hoc in silva: in silvis Oicensibus Scepusii reperit Mauksch.

142. *A. arenarium*.

Sub no. 320. et nomine *A. Moly?* missum a Rochel. Ad Brezovicam in Croatia.

143. *A. suaveolens?*

Cum icone Jacq. ic. rar. II. t. 364. et collect. II. 306. conferendum. In siccis Croatiae, si bene memini, sub Vele-

bich ad Divo Szello lectum, et ob errorem typi in Sp. pl. pro *A. carinato* habitum. Bulbus ovatus, simplex. Scapus pedalis, erectus, teres, striatus, glaber, laevis. Folia caulina plerumque tria, vaginis suis medietatem aut prope tegetia, supremum saepe umbellam excedens, linearia, planiuscula, utrinque subsulcato-angulata, margine crenulata. Vaginae teretes, nervoso-angulatae (in sicco). Umbella latiuscula, convexa. Spatha lanceolata, longissime cuspidata (et quidem utraque valvula), nervosa. Bulbi multi inter pedunculos. Petala rosea, elliptica, obtusa. Stamina simplicia, setacea, corolla fere duplo longiora. Stylus eadem duplo longior.

144. A. sphaerocephalum.

Etiam definitio *A. descendens* convenit, quae igitur mutanda. In clivis arenosis Pesthini, in collibus Budae, ad Keszthely.

145. A. flavum.

In montibus Budensibus, ad Csákvár, in Matra, in monte Cobar.

146. A. pallens.

Cum nota, in monte vitifero Mokra ad Boros Jenő. Corolla tamen, quantum memini non alba, verum, ut etiam in sicco videtur, purpurea. Ab hoc non differt, quod in Matra sub nomine *A. paniculati* legi; idem etiam ad Oravicam lectum, atque ad vineas Pesthinenses. E Scepusio missum.

147. A. uliginosum mihi.

Radix primaria transversa, nodosa, sublignosa, pennam Cygni crassitie aequans, superiore parte bulbos, sub his fasciculam radicularum filiformium albarum edens. Scapus e bulbo oblongo; supra hunc curvatus ad pedem prope adscendentes, nudi, glabri, laeves, inferne ancipites, angulis binis oppositis, eminentibus, superiore parte subquadrangulus: angulis binis

magis eminentibus, striatis. Folia radicalia linearia, supra subcanalicata, subtus subangulata, subcarinata, obtusa. Umbella subconvexa, multiflora: pedicellis angulatis, purpurascensibus. Spatha membranacea, alba, brevis. Petala pallide purpurascensia, ovato-lanceolata, acuta, subcarinata, erecta. Stamina simplicia, filamentis filiformi-subulatis, pallide purpurascensibus, corolla paulo brevioribus; antheris oblongis, flavicantibus cum tinctu rubello. Stylus filiformis corollam demum excedens, stigmatibus obtusis. *A. anguloso* simillimum, aut idem vix differt nisi foliis scapo brevioribus, et angustioribus. Habitat in uliginosis ad Csongrád, in Hatrongyos praedio Cottus Hevesiensis, ad Szegedinum etc. Alibi etiam sub nomine *A. quadranguli* descriptum, etiam quod *A. danubiale* nominavi; cum hoc convenit.

148. *A. senescens.*

In lapidosis Matrae et Szitnyae, alias potissimum in saxosis calcareis, velut in Scepusio, unde a Mauksch pro *A. senescente* et *anguloso* missum, in montibus Malenica et Szulyó Cottus Trenchin, unde a Rochel ex no. 408; ad Miskólc, ad thermas Herculis Lumnitzer sub nomine *A. angulosi* misit.

149. *A. ochroleucum.*

Huc pertinet utpote *A. senescenti* simillimum. Willdenow post *A. sibiricum* rejecit. In alpibus Croatiae, in rupibus calcareis ad catarractas Motieskenses in m. Malenica Cottus Trenchinensis Rochel. Etiam in summitate montis C. Thuroc. Tlszta legit Com. Waldstein.

150. *A. angulosum.*

Lumnitzer pro *A. senescente* misit. Habitat in pratis humidis et in ipsis arundinetis.

151. *A. macrocephalum* vel *cornutum* mihi.

Bulbus prope nucis magnitudine, compositus duobus ad

4 diversae magnitudinis, primario subturbinato, lateralibus quodammodo lanceolatis, hinc difformis, tubera inaequalia exhibens. Membrana communis bulbos concludens alba, diaphana, nervosa; tegmen singulorum bulborum laevigatum, nitidum, flavescens, cartilagineum, rigidum, angulis crenulatum. Radices filiformes, flexuosae, albae. Scapus tri-quadripedalis, erectus, firmum calamus scriptorium crassitie subaequans, teres, substriatus, glaber, laevis, rore tenuissimo incano detergibili tectus, faretus medulla pallide-viridescenti. Folia caulina 4 — 6, alterna, sesquipedalia longiorave, primum recta, rigidula, demum nonnihil curvata, semiteretia, successive in cuspidem attenuata, striata, glabra, laevia, supra inferiore parte, seu latere plano nonnihil excavata, versus apicem omnino plana: angulis obtusis, laevibus, rore cano tenui, detergibili tecta, fistulosa. Vaginae teretes, striatae, glabrae, laeves, oré membranaceo, albo, obliquo ultra folii insertionem prominente. Flores numerosissimi (ad 300) in capitulum oblongo-ovatum dense congesti, impuberes reflexi, florentes, nutantes et patuli, deflorati erecti et adscendentes, superiores successive longius pedunculati: pedunculis filiformibus, ante et sub florescentia purpureis, demum purpura evanida pallide-viridibus cum parco tinctu purpureo, basi incrassatis, sub corolla in nodulum tumentibus, receptaculo convexo insistentibus. Spatha ovata, breviter et obtusiuscule mucronata, albida, nervosa, intus aucta membrana lacera, alba, scariosa: valvulis concavis, saepe subaequalibus. Corolla ovata, sexangularis, in fructu subtriangularis, atropurpurea, petalis oblongis, obtusiusculis, carina scabris, conniventibus, basi subconvexis, persistentibus, alternis (exterioribus, paulo brevioribus). Stamina demum corolla fere duplo longiora: Filam. basi dilatata alba, apice subulato-purpurea; alterna latiora, ex apice in setas aequales trifida; antherae atropur-

pureae, oblongae, apice obtusae, basi emarginatae, erectae, demum incumbentes. Pistilli germen ovatum, obtuse sexangulatum, lateribus alternis in medio prominentibus, viride, glabrum, laeve; stylus filiformis, primum albus, corolla brevior, demum purpureus eadem longior, stamina aequans; stigma acutiusculum. Capsula . . .

Habitat in fruticetis inter et supra vineas Kis Toronyenses, ad promontorium Hegyallja pertinentes. Floret a medio Julio in Augustum. Odor totius plantae alliaceus, mitior. Sapor bulbi subdulcis, mitis. Convenit tota structura cum *A. sphaerocephalo*, a quo vero per octo annos cultum et iterato seminatum constanter diversum sese exhibuit: 1) bulbis omnibus circum primarium congestis, nec in scapum sub membrana adscendentibus, iisdemque decuplo - vigintuplo majoribus, tegmine cartilagineo, rigido, flavescente (nec albo, tenui, flexili), instructis; 2) scapis foliisque multo longioribus crassioribusque; 3) capitulis oblongo-ovatis; 4) floribus duplo pluribus; 5) petalis carina scabris; 6) florescentia tribus prope hebdomadibus seriore.

152. *A. carinatum*.

In collibus apricis Scepusii (a Mauksch), Posonii (a Lumnitzer), ad Boros Jenő.

153. *A. denticulatum*. *A. an carinatum?* *A. foetidum* mihi vel *flexuosum*.

Scapo folioso, tereti, laevi; foliis teretiusculis, supra canaliculatis; vaginis nervosis: capitulo bulbifero; staminibus subulatis; petalis obtusis. Spatha ovata, concava, albo-membranacea, saepe rubore parco tineta, in cuspidem longam semiteretem extensa. Bulbus simplex, ovato-oblongus, saepe altero latere planiusculus, tectus membranis cinerascens in folia infima emarcida continuatis, basi demittens radículas filiformes, flexuosas, albas. Scapus teres, glaber,

laevis, nitidus, solidus, supra medium semel bisve flexus, ultra vel usque ad medium foliorum vaginis tectus. Semipedalis aut paulo longior, in solo fertili pedalis altiorve. Folia caulina 4 — 6, semiteretia, in apicem subulatum successive attenuata, supra canaliculata, marginibus scabriuscula, caeterum laevia, subtus substriata, superiora scapum excedentia, demum recurva. Flores in umbella laxa, multiflora (a 20 ad 40 et ultra), impuberes et florescentes cernui seu penduli, tum nutantes, demum cum fructu erecti, pedunculis filiformibus, sub flore incrassatis, semi-pollicaribus, longioribus brevioribusque, amoene purpureis innixi, bulbis ovatis acutis viridibus in capitulum sphaericum densum compactis interstincti. Spatha ovato-oblonga, bivalvis; valvulis concavis, albo-membranaceis, saepe rubore parco tinctis, nervosis (nervis viridibus quinis septenisve) in cuspidem longam semitere-tem extensis, altera amplior in cuspidem 3-pollicarem, nonnunquam semipedalem prolongata, altera angustior, brevius cuspidata. Corolla amoene purpurea, obovata, obtuse triangulata: petalis conniventibus, aequalibus, ellipticis, obtusis, apice subinflexis, dorso linea profundius colorata notatis, persistentibus. Stamina filamentis simplicibus setaceis, purpureis, corolla demum duplo longioribus; antheris oblongis, sulco divisis, obtusis, basi subsagittatis, purpureis. Germen obovatum, obtuse sexangulum, viride. Stylus setaceus, purpureus, corolla demum duplo longior. Stigma acutum albidum. Capsula Odor totius plantae ingratus, quodammodo rapaceus.

Habitat in graminosis montanis et alpinis Croatiae. Primo intuitu simillimum est *A. carinato*; sed foliis semiteretibus, scapo flexo, florescentia seriore constanter diversum. — Vaginae teretes, striatae, laeves, ore membranaceae, albidae.

154. **A. Victorialis.** *Victoralis longa* Clus hist. 189.

In alpinis et subalpinis Croatiae, Cottus Bereghiensis, Scepusiensis, Arvensis.

155. **A. atropurpureum.**

Inter segetes Cottus Bihariensis. In Syrmio unde a Wolny.

156. **A. ursinum.** *A. ursinum* Clus. hist. 190.

In silvis montis Szántó, non procul Budae, in monte Rosály pone Nagy-Bányam et infra Dumitru, ad Rendek, in Cottu Szaladiensis, in Plissivica et Velebich.

157. **A. sibiricum.**

In alpe Petrosa ad rivulos, in alpinis Scepusii ad origines rivulorum locis altis unde a Mauksch. Nos in valle alpibus Steje inter alpes Petrosam et Negujesk atque Buhajesk. Host et Mauksch pro *A. Schoenopraso* habuerunt.

158. **A. setaceum** Willd. Sp. pl. et Pl. rar. Hung. I. t. 68. *A. tenuissimum* Winterlii indicis horti bot. Pesth. et *A. moschatum* L. ed. Willd. 2. p. 72. Hall. monogr. n. 17. *A. tenuissimum* Habl. taur. p. 162. *A. capillare* scapo nudo tereti, foliis capillaceis, umbella pauciflora, petalis lanceolatis acutis. L. ed. Willd. 2. p. 82. Cav. hisp. III. p. 4. t. 206. f. 1. *Moly moschatum capillaceo folio* C. Bauh. prodr. p. 28. *A. silvestre perpusillum pauciflorum moschatum* J. Bauh. hist. II. p. 565. Hoc syn. citat M. Bieb. ad *A. moschatum* suum, nec non *A. nostrum setaceum*.

Redouté qui plantam nostram, *A. scil. setaceum* nostrum, etiam sub nomine *A. moschati* sed juxta plantam cultam depictam t. 100. exhibet et syn. citat Lam. dict. I. p. 67. Tournef. inst. 385. *Moly moschatum capillaceo folio* C. Bauh. pin. 76. Rudb. Elys. 2. p. 166. f. 14. Sauv. monsp. 10. *Moly zibethinum* Richer de Bellev. opusc. edit. Brouss. tab. 2.

Crescit in montibus calcareis, imprimis Budensibus.

159. *Asphodelus ramosus.* *Asphodelus* I. Clus. hist. p. 196.

In Bakony, ad Tapoleafö, in Sümeghiensi Cottu praesertim locis arenosis.

160. *A. albus.* *Asphodelus* II. Clus. hist. p. 197.

In alpibus Velebich locis saxosis calcareis.

161. *Hemerocallis flava.*

In graminosis silvae Bakony, ad Város Löd, et in Cottu Sümeghiensi.

162. *Anthericum serotinum.*

Est etiam caule bifloro. In alpium carpaticarum vallibus e. c. ad catarractam in der kleinen Kolbach a Mauksch. — Ungues petalorum alternorum binis glandulis obsessi, quae characterem *Erythronii* constituunt, ad quod genus itaque planta haec referenda erit, monente Mauksch in lit.

163. *A. ramosum.*

In silvis et apricis siccis, praesertim calcareis, etiam in Scepusio, ubi Junio et Julio floret.

164. *A. Liliago.*

In montibus Budensibus sub finem Maji floret. In monte Liptoviensi Rácskova invenit Rochel, et sub nomine *A. Liliastri* misit.

165. *Asparagus officinalis.*

In pratis siccis, agris, etiam in arenosis. In locis vere inundatis ad Tibiscum 4 — 6-pedalis, ramosissimus e. c. in praedio Hatrangyos; sed hic crescens aut varietas insignis, aut distincta species est scilicet:

166. *A. tenuifolius* Lam. Enc. I. p. 291. et Schult. *A. officinalis* β . Sp. Pl.

Misit etiam e Sirmio Wolný sub nom. *A. officinalis*? et nutans, hominis altitudinem superans, foliis paucis, flore fere ante folia. Infra Panesova similem legi.

167. A. silvaticus mihi.

In silvis ad thermas Herculis et Croatia, e. c. in dextra ripa Koranae, ad Korenicam, ad Gospich, et Liccae fluvium in fruticetis.

Smilaceae.**168. Paris quadrifolia.**

In nemoribus montium Szantóensium, Pilisiensium, ad Bartfam, Rézbányae.

169. Convallaria majalis.

In nemorosis montium et planitiei, etiam in insulis Danubii.

170. C. verticillata.

Reperi etiam foliis alternis, superioribus tantum verticillatis. Pedunculi biflori, bractee angustissimae, albo-membranae; nervi foliorum subtus et margines velut a pube brevissima, vix nisi per lentem videnda scabriusculi, lacinae corollae intus sub apice brevissime barbatae. In nemoribus Bartphae, Lubloviae, Carpati, Plissivicae Junio, Julio. Mauksch notat in dumetis alpium crescere, Majo, Junio florere.

171. C. Polygonatum.

Apud nos non tantum in nemoribus et dumetis, sed et in montibus apricis e. c. in Adlerberg Budae occurrit. Caulis pedalis, in apricis saepe tantum spithamaeus (nec sesquipedalis ut Smith dicit), folia saepe oblongo-ovata (nec semper elliptica, qualia Smith tribuit) flores albi, apice basique virides dicit.

172. C. multiflora.

In nemoribus fere ubique, et in illis alpinis Scepusii, ubi notante Mauksch Majo floret nec apud nos maturascit. Lacinae corollae apice barbato. Folia distinctius quam

in praecedente, brevissime tamen petiolata, sed est etiam foliis amplexicaulibus, an igitur illa foliis petiolatis (qualem etiam Mauksch e Scepusio miserat) specie distinguenda?

173. C. latifolia.

Etiam sub hocce nomine duas distinctas species legi. Altera est vera *C. latifolia* L.; foliis acuminatis, subtus nervis cauleque pedunculisque pubescentibus distinguenda. Haec radice est longa, tenuiore, alba, carnosa, repente, fibras copiosas exserente, foliis nunc latis, nunc angustioribus (conf. cum *C. pubesc.* Willd. hort. l. p. et t. 45), fere ovato-lanceolatis, distincte petiolatis, petiolis amplexicaulibus, qualem syrmiones, notante Dre. Buday, Pitlovo Pero nominant et vaccis ad lactis augmentum praebent etiam in Cottu Castriferrei. Altera est:

174. C. glabra vel scepusiensis mihi.

Foliis amplexicaulibus, acuminatis, subsessilibus, cauleque pedunculisque glabris. Sub nomine *latifoliae* misit D. Genersich.

175. C. bifolia.

In umbrosis montanis Hungariae, Croatiae, Slavoniae e. c. in Matra, Bartfae, Lubloviae, sub Carpato, Borsae, in montosae Croatiae, subalpinis Liptoviae et Scepusii.

Irideae.

176. Iris variegata. I. major latifolia XV Clus. hist. p. 221.

In montanis supra arcem divi Georgii, in collibus ad Stampfen, in siccioribus pratis Sopronii vicinis Clusius.

177. I. sambucina. I. major latifolia octava Clus. hist. p. 219.

In Croatiae montibus, qui a fluminensibus Mala Planina nominantur. Host syn.

178. **I hungarica.**

An diversa sit ab *I. bohemica* Schmidt inquiretur.

179. **I. spuria.** *I. angustifolia major* seu *I.* Clus. hist. p. 228.

In Com. Trencsin (Rochel), ad Lendva in pratis (Clusius).

180. **I. sibirica.** *I. angustifolia* II. et *I. angustifoliae* II. species altera. Clus. hist. p. 229.

Ad Lendva in districtu Murodravano locis udis (Clusius), in Croatia (Host).

181. **Crocus vernus.**

Habitat in alpinis et subalpinis Croatiae, Marmatiae, Transsylvaniae, Cott. Szathmáriensis, Bihariensis, Zoliensis. In Croatia flores albos, alibi coeruleos habet.

182. **C. nudiflorus.** Smith Flor. Brit.

Habitat in montibus ad Szalatnyam, Transsylvaniae et ad Rézbányam in Hungaria.

D. Baumgarten bulbos e Transsylvania misit sub nomine *C. speciosi* M. B. sed unicae bulborum fibrosae erant, quae sec. M. *B. specioso* suo sunt laevigatae, nec filamentosae.

183. **C. praecox.** *C. vernus latifol. alb. flor.* Clus. hist. p. 203.

Bulbus depresso-rotundatus, solidus, albus, sub florescentia nondum edens bulbillos, basi promens radículas capillares, albidas, e latere baseos in circulum protrusas, divaricatas vix pollicem longas. Bulbum cingit, seu involvit membrana arida, fusca. Vagina extima, folia concludens; constat tubis 4—5 membranaceis, albis, striatis, extimo brevissimo, truncato, reliquis successive longioribus, suprema parte fissis, intimis apice subcalloso, pallide virescente, subconnivente terminatis, inferne subcarnosis, basi in bulbillum, seniori insidentem et cum eo velut articulatum incrassatis.

Folia 4—8, cum flore emergentia, hunc primum aequan-

tia, erecta, dimidium superantia recurvo-potentia, linearia, supra canaliculo albo planiusculo exarata, subtus dorso eminente plano cum margine revoluto utrinque canaliculum formantia, marginibus dorsi utrinque pilis brevissimis glanduliferis, non nisi per lentem videndis adspersa, apice obtuso pallidiore subcalloso terminata. Flores singuli binive ex eodem bulbo, vagina communi membranacea alba, in tubum connata, submucronata, aut obtusa conclusi, intra quam singulum floris tubum cingunt binae aliae, sub germine adnatae, quarum exterior tubum corollae adaequans pariter connata est in tubum, interior brevior angustiorque ad insertionem usque fissa. Communis pedunculorum vagina plerum terminatur cuspidate longiore, nonnunquam foliacea. Pedunculus triangularis, albus, inter bulbum et germen 1 — $\frac{1}{2}$ pollicem aequans. Corolla sexpartita: laciniis ovato-lanceolatis, inferne paulo angustioribus, obtusis, albis, striatisque, exterioribus 3 longioribus, dorso lineis violaceis ramosis et binis lateralibus subsimplicibus multo brevioribus picto, interioribus linea triplici violacea simplici notatis. Tubus, in quem lacinae confiniunt, elongatus, 1 $\frac{1}{2}$ — 2-pollicaris, triangularis, albus, lineis 6 violaceis, e media singulae lacinae decurrentibus notatus.

Filamenta tubo corollae ad lacinas longiores adnata, alba, firma, parte libera brevi semitereti, latere interiore subcanaliculato. Antherae lineares, basi bifida sagittatae, apice mucrone inflexo emarginationem mentientes, filamentorum parte libera prope duplo longiores, aureae, utrinque sulco exaratae. Pollen aureum, glabrum, spargi incipit, ante quam corolla aperiatur, e binis oculis lateralibus antherarum.

Germen inferum, triangulare, oblongum, sex lineis violaceis notatum. Stylus teretiuseculus, inferne albus, superne triangularis, aureus, nonnihil incrassatus.

Stigmata tria, aurantia, inclusa, in tubulos compressos, superne latiores, margine supremo crenatos, connata singula.

Capsula Semina

Habitat in alpinis et subalpinis Croatiae.

Amaryllideae.

184. **Galanthus nivalis.**

In silvis ubique.

185. **Leucojum vernum.**

Pone Rézbányam sub rupe Muncsel ad rivulum, in Cottu Castriferrei.

186. **L. aestivale.**

In pratis humidis insulis Danubii.

187. **Sternbergia colchiciflora** Pl. rar. Hung. II. t. 159.
Narcissus autumnalis minor Clus. hist. p. 164.

Ad Inotam et Palotam, Budae in monte aquilarum, in montibus calcareis ad Budaörs, B. Füred et Arács.

188. **Narcissus bicolor.**

In Cottu Trencsinensi reperit Rochel.

Orchideae.

189. **Orchis papilionacea.**

In prato sabuloso, depresso, humidiusculo, oppido hajdonicali Hadház adjacenti cum *O. pyramidali* et *coriophora* crescit; notante Diószegi in literis.

190. **O. variegata.**

In graminosis siccis.

191. **Orchis**

Sub nomine *Satyrii novi* descripta in diario itineris Marmarosiensis, lecta in silvis ad Erdőd Cottus Szathmáriensis est *Ophrys anthropophora* Fl. dan. adserente Host in litt. Conferatur cum *O. parviflora* Sp. Pl. Willd. n. 43. cui cornu etiam scrotiforme.

192. **O. ustulata.** *O. pannonica* quarta Clus. hist. p. 268.
In montibus ad arcem Greben.

Aroïdeae.

193. **Acorus Calamus.** *Acorum* Clus. hist. p. 230. 231.
In fossis, paludibus Croatiae, Slavoniae, Hungariae.

Cupressineae.

194. **Juniperus nana.**
In alpibus Scepusii, Liptoviae, Marmatiae.

Betulaceae.

195. **Betula alba.**

Varietas cortice ramulorum verrucoso, foliis glanduloso-punctatis in Suecia sub nomine *B. fragilis* distinguitur; Wahlenberg. *B. Oyocoviensis* fol. ovatis, acutis mucronato-serratis, resinoso-punctatis; strobilis ellipticis cernuis, Besser in Prim. Fl. Galic., sine dubio est eadem.

In horto Orczyano Pesthini.

196. **B. lobulata** mihi an **B. dalecarlica?**

Caudex altus *B. albam* superans, ramis erectis. Cortex juniorum ramulorum fusco-niger, in vegetioribus tuberculis resinosis obsessus, epidermide grisea, sequente anno secedente indutus. Folia aut ovata basi nonnihil producta, aut deltoideo-ovata, acuminata: dentibus majoribus obtusiuscule-mucronatis, minoribus obtusiusculis muticis, utrinque glabra, vegetiorum ramulorum superficie superiore punctis elevatis scabra. Petioli glabri, foliis breviores, pedunculis longiores, ut ramuli vegetiores resinosis tuberculis, sed rarioribus, saepe obsessi. Amenta mascula cylindrica, longa, nutantia, terminalia, sessilia; foeminea pedunculata, erecta, axillaria, cylindrica, masculis quadruplo breviora tenuioraque, fructus

crassiuscula, quantum in siccis specimenibus videre est nuntantia. Squamae amenti masculi fuscae, pedicello communi cum staminibus, quae tegit, insistent; foeminei amenti vero postice trilobae: lobo medio nonnihil productiore, lateralibus paulo latioribus, instar alae expansis, nonnihil reflexis, rotundatis, apice illarum velut in rostrum obtusum prominente. Alae margine ad lentem vix notabiliter pubescunt. Semina ovata, membrana fusca, lateribus ampliore cincta.

Habitat in vallibus alpium, nemoribus subalpinis et collinis, in longa silva Kesmarkiensi, in nemoribus Leibitzensibus etiam per Comitatum Gömöriensem et Neogradensem observavit Mauksch. Wahlenberg a *B. dalecarlicam* distinctam esse, et vix varietate differre a *B. alba* asseruit.

197. *B. pubescens.*

Locis humidis et uliginosis atque turfosis in palude Ecsédi Láp, versus Carolostadium in Croatia, et in valle sub monte non procul acidula Ránkensi. Mauksch in Scepusio observavit.

198. *B. carpatica.*

Arborea, in subalpinis fruticosa, sed trunco crasso, caudices fruticosos emittente. Epidermis grisea ramulorum anatinorum lacera secedit, cortice nigro-fusco remanente, laevi. Juniores ramuli pubescunt. Folia variant e figura elliptica in ovatam, ex acuta in acuminatam, juniora subpubescentia, demum glabra, plus minus lobulata seu duplicato-serrata. Petioli primum subpubescentes, dein glabri, pedunculis longiores. Juli masculi terminales, cylindrici; foeminei axillares, pedunculati, in fructu crassi, fere ovali-cylindrici. Squamae strobilorum seu amentorum foemineorum trilobae, apice obtuso, alis oblique truncatis, non raro nonnihil emarginatis, ad lentem tenuissime ciliatis, angulis obtusis: basi cuneiformi.

Membrana semen cingens fusca emarginata. Ab *alba* specie non differre praetendit Wahlenberg.

199. **B. ovata.**

In alpe Guttin et in alpidibus Bereghiensibus.

Cupuliferae.

200. **Quercus Robur.**

Variat foliis plus minus latis: lobis rotundatis (ut in definitione ponitur) et oblongis (qualia specimina in it. Slavonico legi); integerrimis. Wolny misit aliam varietatem lobis foliorum quibusdam lobulatis. Gallæ ramulos obsidentes magnæ, echinato-ramosæ.

201. **Q. pedunculata.**

Folia huic et slavonicae novæ inter nostrates maxima. Fructus in *pendulina* sessiles cupulae hemisphaerico minores: squamis sub maturitate apice liberis.

202. **Q. pendulina** mihi.

Q. pedunculatae similis fructibus longe pedunculatis; sed diversa foliis petiolatis, subtus petiolis pedunculisque pubescentibus. In silva Budensi: ad Schönen Schäferin.

203. **Q. hungarica** interea mihi.

Primo intuitu *Q. pedunculatae* similis, quacum utique foliorum magnitudine et forma convenit: sed diversa foliis longius petiolatis; fructibus breviter pedunculatis. Legi ni fallor, in silva budensi.

204. **Q. pubescens.** *Robur* H. Clusii hist. pl. rar. L. I. 18.

205. **Q. pubescens?** an distincta species? *turbinata* mihi interea dicta.

In silva Gödöllöensi lecta.

206. **Q. Ménesiensis** interea mihi.

Fructus sessiles aut breviter pedunculati. Inter vineas Ménesienses.

207. *Q. undulata* mihi.

A *Q. pubescente* diversa foliis undulatis lobis acutis. Fructus sessiles. In silva budensi.

208. *Q. ambigua* interea mihi.

Q. pubescenti proxima, diversa fructibus longius pedunculatis.

209. *Q. spicata* mihi.

In silva montis tiliarum Budae.

210. *Q. vértesiensis* interea mihi.

In monte tiliarum Budae.

211. *Q. conferta* mihi.

Fructus sessiles, aggregati. Calyces hemisphaerici, cani, extus tomentoso-pilosi, tactu molles, intus a margine piloso usque ad basim tomentosi, squamati: squamis appressis, lanceolatis, obtusiusculis, tomentoso-pilosis, tactu mollibus, inferioribus brevioribus, subovatis. Glandes oblongae plerumque duplo longiores, communiter utrinque attenuatae, apice non impresso sed obtuso, mucronatae, per lentem inspectae in apice vestigia tomenti exhibent, hinc forte juniores tomentosae. Glandes accepi per pharmacopaeum Eszekiensem Fátz e territorio pagi Kutyevo in Cottu Posegano, dein medio Dris. Küt-tel a Keresztur. Klapka a. 1813 misit arbores, in quibus sequentia observavi: Folia, licet arida, adhuc Martio ad finem vergente fortiter adhaerebant, et subtus tomentum exhibebant; petioli tomentosi, vix ultra 2 lineas longi; ramuli horni, seu potius annotini, cortice cinerascente, initio laevi, glabro, nequaquam tomentoso; gemmae ovato-oblongae, acutiusculae, obscure fuscae: squamis ovatis, obtusis, intimis subsericeis.

212. *Q. austriaca*. Cerrus Clus. hist. rar. L. I. p. 20.

Lignum hujus in lapidem commutatum ipsaque adeo ma-

trice in nigrum silicem conversa legit Clusius in monte Eisenberg Pinkae fluvio imminente.

213. Q. sublobata mihi.

Arbor procera. Tota glabra. Rami erectiusculi: cortice juniore obscure cinerascete, obsolete sulcato, horno fusco, cum punctis elevatis albidis, raris, sparsis. Folia petiolata, oblongo-lanceolata, basi ovata, saepe inaequaliter cordata latere altero subdecurrente, integra aut subsinuata, aut irregulariter obsolete obtuseque lobata, supra nitida, subtus pallidiora, a 3 ad 7 pollices longa, 1—2½ lata, versus basim angustiora. Petioli semipollicares, pollicares longioresve. Gemmae ovatae, glabrae, squamis aliquot linearibus ciliatis stipatae. Fructus sessiles: cupulis hemisphaericis: squamis appressis. Glandes oblongae, glabrae, laeves. Habitat ad Keszthely in Cottu Szaladiensis ex relatione dom. Asbóth, in Baszonák, vineis Kis Récese; in silva Gesztenyes. Accepi a Prof. Schuster, tum a dom. Török.

214. Q. cuneata mihi.

Cortex juniorum ramorum fuscus, hornorum pubescens. Folia petiolata, oblonga, inaequaliter lobato-serrata, lobis setaceo-mucronatis, supra glabra, subtus canescentia, pubescentia, basi cuneiformia integerrima. Petioli pubescentes. Habitat Budae in monte tiliarum.

Salicineae.

215. Salix monandra Hoffm. **S. Helix** L.

Gemmae univalves. Amenta stipata bracteis 3—4.

216. S. praecox.

Im Auwinkel ad scaturiginem Saukopf, arbor alta, ramulis annotinis fragilissimus.

217. S. myrtilloides.

Im grossen Walde bei Käsmark, Mauksch und Wahlenberg.

218. S. Arbuscula.

In valle subalpina Koprova Liptoviae pone Krivan.

219. S. exstipulata mihi.

Frutex aut arbor 1 — 2-orygalis aut sesquiorgyalis. Cortex senior cinerascens, ramulorum annotinorum obscure profundeque fusco-rubens, glaber, superiore parte subpubescens. Rami patuli, annotini ad insertionem levi vi fragiles, ex articulatione nimirum solubiles, horni pubescentes. Folia alterna petiolata, lanceolata, utrinque attenuata, subcuspidata, alia integerrima, alia medio serrulata, utrinque flavescenti-viridia, glabraque, subciliata. Petioli breves, subciliati. Stipulae nullae, sed pro his utrinque glandula axillaris. Amenta lateralia, coaetanea, breviter pedunculata e squamis oblongis, longe ciliatis. Pedunculus pubescens, foliis integerrimis, supra nudis, subtus pubescentibus, subsessilibus, 3 — 4 stipatus. Mascula 1 1/2 — 2-pollicaria, densiusculis floribus obsessa. Squamae oblongae, obtusae, concavae, longe ciliatae. Stamina 3 — 4: filamentis setaceis, inferiore parte monadelphis, pubescentibusque; binis exterioribus squamam subaequantibus, aliis 2 eadem longioribus; antheris subrotundis flavis. Glandula unica ad basim staminum interius sita, erecta flava. Habitat in insulis danubialibus. Fl. sub finem Aprilis.

220. S. oppositifolia mihi.

Frutex 1 1/2 — 2-pedalis, raro altior, ramosissimus, cortice nigro-fusco, ramis tenacibus, glabris. Folia opposita aut subopposita, brevissime petiolata, perparum recurva, lanceolata, acuta, inde a basi versus apicem successive parum dilatata, reliqua prope ad vel ultra medium usque integerrima, inde obsolete serrulata, apice integerrimo, inferiora ramulorum integerrima, juniora utrinque subpubescentia, demum calva, subtus perrarum glaucescentia, pollice breviora, laevia, diaphane venosa. Petioli appressi, glabri. Stipulae

nullae. Amenta cylindrica opposita, aut subopposita, foliis proprie talibus destituta, i. e. absque folio e gemma sua singula prodenntia, patula, praecocia. Foeminea semipollicaria, demum paulo longiora, floribus densissimis; germinibus ovatis, pubescentibus; stigmatibus sessilibus, emarginato. Squama brevissima, concava, subrotunda, fusca nigra, extus pilis tenuissimis longiusculis albis obsita. Capsula oblonga, subelliptica, versus apicem paulo tenuior, pubescens, sessilis, obtusa, stigmatibus nigro persistente. Ad stagnum in horto Orezyano Pesthini. Basin pedunculorum stipant folia 3 — 4, oblonga, recurva, obtusa, integerrima. Pedunculus julorum albo-villosus.

221. S. Waldsteiniana.

Gehört nach Rochel's Meinung zur *S. alpina* Scop., *S. formosa* Willd.

Chenopodeae.

222. Salicornia herbacea.

Habitat in salsis ad Fok-Szabadi Cott. Vesprim, ad Aba et in praedio Sz. Iván Com. Albensis.

223. Atriplex laciniata Winterl.

Est vera *A. tatarica* Gmel. sib. iii. t. 14. f. 1, ejus opinionis etiam Willdenow est.

224. A. angustifolia.

Ad Miskolc. In definitione tamen caulis divaricatus dicitur, quod nostrae non convenit.

225. A. botryoides mihi.

Radix annua, flexuosa, latere radículas fibrosas numerosas edens, sordide albens. Caulis erectus, 1 — 3-pedalis, obtuse quadrangulus, ad ortum ramorum incrassatus, subcompressus, lateribus binis latioribus aut planis aut excavatis seu canaliculatis, aliis duobus convexis, ramosus, in solo

sterili salso humilis; ramis inferioribus diffusis, longis, in fertiliore altior: ramis inferioribus patentibus, his oppositis, superioribus alternis. Folia petiolata, hastata, basi aliquantum in angulum obtusum prominente, acuta, obsolete triplinervi-venosa, carnosa seu succulenta fragilia, inferiora opposita, superiora oblongo-triangulari-hastata, integerrima. Flores in spicis terminalibus lateralibusque erectis, densis, subaphyllis, praeter folium lanceolatum, ortum ramulorum inferiorum stipans, saepe uno alterove foliolo lineari-teretiusculo, ad basin instructis densis. Calycis fructus valvulis obtusissimis, integerrimis, disco obsolete tuberculatis, fructum subglobosum formantibus. Semen subrotundum, parum compressum, nigrum, nitidum. Tota glabra. Rami, folia, (praesertim subtus) maxime calyces fructus epidermide nitida, lacera, sed adnata (nec libera) tecti. Axillae caulis baseosque ramorum plerumque purpurascunt. Habitat in salsis Hungariae. Floret Aug. et Sept.; Octobri fructificat.

226. *A. sulcata* mihi an *A. litoralis* varietas?

Radix annua, primaria palmaris aut spithamaea, flexuosa, sordide albida, seu fuscescens, laterales fibrosae. Caulis erectus, in salsis sterilibus prostratus, a basi ramosus: ramis infimis approximatis, patentissimis, ascendentibus, superioribus remotis, ad angulum acutum erectis, in axillis purpurascens, caeterum ut caulis ab atomis albidis subcaescentibus, inferiore parte ut caulis obsolete angulatis, striatis, superiore sulcatis, angulis obtusis, pallidioribus. Folia alterna, petiolata, lanceolata, utrinque acuta, apice submucronata, argute sinuato-dentata. Petioli triangulares: angulis lateralibus prominulis, carinali obtuso; latere superiore planiusculo, bistriato. Flores glomerati: glomerulis subrotundis, in spicas terminales axillaresque, aphyllas, inferne interruptas, erectas, subsimplices dispositis. Flores foeminei,

masculique: ego saltem nullum germinis aut styli vestigium video in floribus staminiferis. Calyx masculorum 5-partitus, concavus, foliolis subrotundis, obtusissimis, margine membranaceis, dorso viridibus, glabris, nudis: foemineorum diphyllus, minutus: foliolis oblongis, acutis. Stamina calyce longiora: filamentis capillaceis albis; antheris didymis ovalibus, cum emergunt purpurascensibus, demum pallide flavis. Calyx fructus.... Habitat in salsis e. c. inter Abony et Cegléd. Fl. sub finem Julii. Differt itaque ab *A. litorali*, cui caulis et folia glaucescunt; caulis et rami angulati; folia subcarnosa, pleraque integerrima; rami per totam longitudinem ramulis obsiti.

227. A. cana vel **incana** mihi.

Sub hoc nomine descripta in diario itineris Ránkensis est *A. rosea* L.

228. Corispermum nitidum mihi.

In arena mobili sterilissima Pesthini per reliquam Cottus Pesthiensis partem arenosam, perque Cumaniam minorem et Comitatum Bács et Csanád.

Radix annua, subsimplex, saepe fere pedalis, flexuosa, latere radículas emittens, quandoque ramosa, albida.

Caulis flexuosus e basi ramosissimus: ramis elongatis, patulis, non striatis, subangulatis.

Folia alterna, sessilia, linearia, pollicaria, longiora breviorave, subcarnosa, supra leviter canaliculata, subtus convexiuscula, enervia, setula inermi terminata.

Flores in spicis terminalibus lateralibus solitariis: floribus distantibus, interioribus ramosissimis; bracteis linearibus, inferiore parte tenui margine membranaceo cinctis, setula molli terminatis.

Corolla petalum unicum ovato-subrotundum, membranaceum, inter pedunculum spicae communem et genitalia positum, germine primum aequale, demum duplo brevius.

Stamina 5, quorum 2 ante, 3 pone germina sita sunt, binis horum ad marginem accedentibus; fil. germini subaequalia demum duplo breviora, tenuissima, alba; anth. subrotundae ochroleucae.

Germen subrotundo-ovatum, non marginatum, nec emarginatum, sed brevissime mucronatum. Styli duo tenuissimi, albi, breves, erecti.

Semina subrotundo-ovata, brevissime mucronata, margine membranaceo destituta, ante maturitatem margine profunde purpurea, nitidissima, bracteis latiora.

Bracteae summae ovato-lanceolatae, breves.

Caulis et ramorum pars inferior saepe purpurascit. Omnes partes glabrae, nitidae, demtis spicis, quarum pars superior pilis brevibus rarioribus, fugacibus obsita est, demum etiam calvenscens. Margo bractearum et germinum, quin et petalum non raro purpurascunt.

Styli primum quidem erecti, breves, verum demum germine longiores, divaricati, quod vero minus frequens.

A *C. canescente* nostro differt, caule altiore, magis flexuoso, ramis magis elongatis, spicis tenuibus, floribus remotis; foliis crassioribus subcarnosis; petalo unico majore; germine semineque subovato, submucronato, non marginato; glabritie et floresentia seriore: floret enim Augusto et Septembri.

Habitat cum *C. canescente*, sed rarius.

A *C. hyssopifolio*, quocum floribus distantibus, foliis enerviis, bracteisque inermibus convenit, differt petalo unico, stylis longis, seminibus subrotundo-ovatis, floresentia seriore, staminibus 5.

A *C. squarroso* autem differt spicis terminalibus; floribus remotis; bracteis inermibus; floribus corollatis, nec corolla destitutis; staminibus 5; semine submucronato, nec emarginato. Omnes partes graciliores quoad in *C. hyssopifolio* et

C. canescente. Caulis, rami, foliaque glabra; folia duplo triplove angustiora et breviora quam in *C. hyssopifolio*, subtus convexa, supra plana, lineari-subulata.

229. C. canescens mihi.

Radix annua, ramosa, flexuosa, albida, quandoque subsimplex, spithamaca pedalisve. Caulis a basi ramosissimus, flexuosus, ramique striati striis pallidioribus, patentes, ibidem flexuosi.

Folia ut rami, alterna, sessilia, linearia, pollicaria, supra nonnihil canaliculata, subtus convexiuscula, integerrima; setula terminata molli.

Flores in spicis terminalibus, lateralibus et subaxillaribus (sub ramo ad latus enatis) densis, erectis, $\frac{1}{2}$ -bi-tripollicaribus. Bracteae seu folia floralia reliquis breviora, versus apicem successive decrescentia, ovato-lanceolata, erecta, margine tenui membranacea, setula terminata molli, imbricata.

Calyx et corolla nulla, nisi membranaceas 2 squamulas minutissimas inter germen et rachim pro corolla vel nectario sumere velis.

Stamina 5, quorum terna inter rachim et germen, bina inter hoc et bracteam posita sunt, germine breviora, medium inter tria interiora reliquis longius, omnia filamentis tenuissimis; antheris minutis ochroleucis.

Germen orbiculatum, intus planum extus convexiusculum, margine membranaceo, inaequaliter denticulato seu suberoso, apice germinis emarginato cinctum; styli 2 breves, capillacei, tenuissimi, erecti. Semina forma germinis, exteriora latere magis convexa, bracteis latiora, fusca nitida, margine diaphano utrinque emarginata.

Tota planta, demtis genitalibus, pilis brevibus, albis, fasciculatis, detergibilibus canescens, maxime spicae.

Caulis et rami inferiore parte communiter obscure rubent, per maturitatem autem tota planta pallidius rubescit.

Habitat in arena mobili sterilissima. Floret Julio, Augusto.

Folia inferiora pollice saepe longiora, superiora breviora enervia.

Convenit cum *C. hyssopifolio* spicis terminalibus, petalis 2, foliis enerviis bracteisque inermibus; sed differt spicis densis floribus approximatis ita, ut semina interstitia excedant; staminibus 5, seminibus emarginatis. A *C. squarroso* et *pungente* M. B. differt: bracteis foliisque inermibus, staminibus 5.

Amarantaceae.

230. **Amarantus retroflexus** M. B. et Willd., **A. hypochondriacus** Fl. Poson., **A. hybridus** Jacq. Fl. austr., **A. viridis** Winterl et Host.

Habitat copiosissimus in ruderatis et cultis, vineis etc.

Polygoneae.

231. **Polygonum Bistorta.**

In pratis humidis frigidiorum Cottum Scepus. et Arvens. e. c. ad Sztraskam, in Petrosa; in pratis humidis Cottus Sümeghiensis Ill. Comes Antonius Festetics.

232. **P. viviparum.**

Caulis quandoque pedalis, non raro digitalis. Folia plerumque omnia lanceolata, quandoque infimum ellipticum, imo subrotundo-ovale. In alpibus Scepusiensibus, Liptoviensibus, Arvensibus, Zoliensibus, Plissivica, Velebich.

233. **P. amphibium.**

In aquis stagnantibus Scepusii, Pesthini.

234. **P. minus.**

Huic folia punctis eminentibus scabriuscula, brevissime-

que ciliata; sed nervis pubescentia pilis adpressis; et corolla laevis, nec punctato-glandulosa, nec caulis semper basi repens, et folia in pluribus locis quidem lineari-lanceolata (velut ad Csáktornyam); sed alibi aequae lato-lanceolata. In Matra, Quinque-Ecclesias, in palude Ecsediensi.

235. P. Hydropiper.

Folia utrinque punctis eminentibus densis scabriuscula, pilis brevibus ciliata, caeterum glabra. Etiam vaginae obovato-punctatae, uti et flores, seu ut Smith dicit, extus punctato-glandulosi. In aquosis et fossis Pesthini, in Matra, Banatu etc., Cottu Marmarosiensi ad vias.

236. P. ciliare mihi.

Quod nomen, cum etiam *P. Hydropiperi* et *minori* conveniat, mutandum erit in *intermedium*. A *P. Hydropipere* differt floribus condensatis, a *minore* foliis petiolatis, lanceolatis, floribus condensatis, subpunctatis. Habitat in paludosis et fossis aquosis Syrmii, reliquaeque Slavoniae.

237. P. punctatum mihi.

P. Persicariae accedens aut ejus varietas. Caulibus subbipedalibus, glabris, laevibus, purpureo-punctatis; ramosis: ramis ad angulum acutum erectis, impunctatis, glabris, laevibus. Folia lanceolata, utrinque angustata, petiolata, nervis et supra versus marginem margineque pilis seu setulis appressis obsita, subtus punctata, inferiora subtus cano-tomentosa. Stipulae vaginales lacerae, muticae. Pedunculi glabri, laeves. Corollae laeves. Corollae rubrae. E Matra a Nesselthaler.

238. P. glandulosum mihi.

Caulis glaber, laevis, impunctatus. Folia ut in praecedente, sed tantum ciliata setulis brevibus, caeterum glabra, subtus punctata. Pedunculi corollaeque glandulis nigricantibus obsitae, corollae albae.

239. P. obliquum mihi.

An prioris varietas? Caulis subsimplex, glaber, laevis. Folia petiolata, inferiora oblique cordato-ovata, superiora ovata, ovato-lanceolata basi angustata, omnia cuspidata, subtus punctata, supra versus marginem margineque et nervis utrinque setulis obsita adpressis. Pedunculi subpubescentes et glandulis scabriusculi. Spicae cylindricae pollicares longioresve, densae. Corollae rubellae, glabrae.

240. P. aviculare.

Ad vias, in vineis Hegyalljensibus foliis latioribus.

241. P. Bellardi.

Habitat in monte Gerardi, inter vineas ad Arács, in Sirmio a Wolny. Sprengel scribit: „Est quidem *P. Bellardi*, sed nullam video differentiam inter hoc et *P. arenarium* tum, flores enim in utroque racemosi fiunt.“ Prof. Besser in litt.: „Bei Vergleichung des *P. arenarium* aus Host's Garten, mit dem das galicische übereinstimmt, habe er gefunden, dass es einerlei sei mit *P. patulum* M. B., von welchem er ein tauisches Exemplar durch den Collegienrath Steven erhalten habe; eine andere Pflanze ist *P. arenarium* aus Landshut.“

242. P. Fagopyrum.

In arvis.

243. P. pusillum mihi.

An novum? an alterius varietas. Radix annua simplex, vix pollice longior, fibras aliquot exserens, fusca. Caulis simplicissimus, erectus, digitalis, palmaris, tantum apice 2 — 3 foliis instructus, aut medio etiam unum gerens. Folia petiolata, alterna, inferiora 2 nonnunquam opposita, cordata, lobis obtusis, quandoque rotundata, flores tantum 2 — 4 spicam terminalem quodammodo constituentes. A dom. Kittel in monte Grusiensi.

244. P. dumetorum.

Bartfae.

245. Rumex Patientia.**246. R. exsanguis mihi.**

E Syrmio a Wolny missus sub nomine *P. sanguinei*. Legi etiam ipse sed non memini ubi sec. . . . est varietas *sanguinei* β . — N. B. Wolny specimina bina, 2 diversarum specierum misit, quorum neutrum seu ad *sanguineum* seu ad *exsanguem*, ut nunc primum observo, pertinere videtur. Horum alter, quem no. 1. signavi, caule est sulcato, obscure-rubro, glabro, laevi, nitido. Rami ad angulum acutum erecti. Foliis petiolatis, oblongis, sublanceolatis, basi angustatis, apice obtusiusculis, crenatis, undulatis, glabris, laevibus (radicalia non vidi). Vaginae fuscae, lacerae. Flores verticillati, verticillis ad $\frac{1}{2}$ pollicis distantibus. Valvulae florum videntur obovatae, obtusae esse, sed nondum sunt bene evolutae. Atque videtur esse *R. Nemolapathum*. Alter quem no. 2. signavi, est caule etiam sulcato; foliis petiolatis, inferioribus cordatis obtusissimis, superioribus lato-lanceolatis, basi angustatis, obtusis, supremis acutiusculis, omnibus integerrimis, scabriusculis, junioribus subundulatis. Verticilli florum magis approximati. Valvulae obtusae, integerrimae. Atque iste potest esse *R. exsanguis*, quem Smith pro varietate *sanguinei* habet, et folia inferiora dicit basi cordata. *R. Condylodes* M. B.

247. R. Hydrolapathum.

Folia undulata huic (in sicco) apparenter crenata. Valvulae non paucae dentatae, quales etiam in specimine a Willdenow misso adsunt. Est idem, quem Winterl in indice horti sub nomine *R. aquatici* descripsit. Misit Wolny cum?

Habitat in aquis stagnantibus et fluentibus, velut in rivo Rákos.

248. R. crispus.

Posonii, Pesthini, ad Sz. Márton. In humidis; Smith in ruderatis, pascuis et ad vias crescere dicit.

249. R. Nemolapathum.

In humidis Cottus Pesthiensis, Szatmáriensis, Sirmien-sis, Posoniensis, Croatiae. Pro *R. Hydrolapatho* declaravit Willdenow, sine dubio errore calami. A Wolny sub? missus.

250. R. maritimus.

In humidis, frequentissimus in stagnis Cottus Szabolcsen-sis subsalsis e. c. ad Nyír Egyhaza. Missus etiam a Wolny sub no. 44. In sabulo humido frequens. Noster est annuus, qualem Willdenow in Sp. Pl. et En. pl. hort. ber. ponit, Smith autem in Fl. brit. perennem notat.

251. R. palustris Smith Fl. brit. I. p. 394.

Habitat in depressis limosis aquosis Banatus alibique. A Winterl pro *R. maritimo* habitus, qui vero esse non pot-est, cum nec valvulas deltoideas, nec folia linearia, nec ver-ticillos confertos habet.

252. R. acutus.

In Sauwinkel Budae loco humido umbroso, ad Diosgyör in hortis prope officinam vitriariam.

253. R. pulcher.

Copiosus in Banatu et Sirmio.

254. R. scutatus.

In valle alpina Völkgrund Scepusii, ad aquam in arena infra catarractas. A Mauksch e Scepusio, Wolny e Chocs. Utriusque specimen folia caulina oblonga hastata, infima abbreviata, apice rotundato, quoad lateribus sinu laterali, fere semiorbiculato-hastata.

β . Varietas haec est statura minore quam *R. glaucus* s. *R. scutatus* γ . Caules inferne inter lapides undique dispersi, lignescentes, rufo-fusci, in plures alios inferne floc-

cosos adscendentes superne in 2 — 3 ramulos racemoso-floriferos divisi, maxima parte aphyllis. Folia basi profunde excisa, inferiora laciniis baseos magis reflexis subsagittata, antice rotundata, superiora laciniis illis magis divaricatis hastata, quaequam antice oblonga, omnia obtusa, quaequam in nonnullis speciminibus acutiusecula, in longioribus caulibus quandoque unum alterumve lanceolato-hastatum. Habitat in alpibus Plissivica et Velebich supra Medák in saxosis. Foliis triangulari-hastatis occurrebat ad Hradek in arena ubi Bela miscet cum Vago.

γ . = *R. glaucus* Jacq. quem in alpe croatica Debelo Berdo, et in valle subalpina Szenszki-put legimus inter saxa calcarea; folia aequalia, cordato-hastata antice rotundato-glauca habet. Est etiam unum alterumve folium caulinum, oblongo-hastatum.

255. *R. digynus*.

In alpe Arvensi Rohács, in Völkgrund in arena rivuli, sub catarracta ipsi legimus, in aliis alpibus Scepusii Mauksch et Genersich, in Kriván etiam est.

256. *R. alpinus*.

Florum genitalia inquirenda. In alpibus et subalpinis Scepusii, Liptoviae, Marmatiae, potissimum frequens ad gazas opilionum et ubi quondam ovium in alpibus pascentium stationes erant. Desunt specimina.

257. *R. Acetosa*.

In pratis, pascuis et pinguibus.

δ . Cum hac varietate convenit synonym. Halleri ad sequentem citatum scilicet: *Lapathum sexubus distinctis, foliis digitatis, hamis brevissimis, recta divergentibus*. Hall. helv. 1598. In alpibus Marmaros et Scepusii e. c. in Völkgrund atque in Liptoviensibus e. c. in valle alpina sub Kriván.

ε. seu *Acetosa montana lato ari folio rotundo* Boccon. mus. 165. t. 125 et 126. In alpe Pop Iván et in valle Thurociensi Zsihlavina. *♀. lanceolata*, caule vix pedali, foliis lanceolato-sagittatis, superioribus sessilibus, in sabulosis ad rivulos legit Mauksch.

258. R. Acetosella.

Copiosus in pascuis et agris arenosis, omnium autem frequentissimus in agris Croatiae declivibus inter silvis, qui ab hac stirpe toti fuscescunt. *β. auriculis foliorum bi-trifidis*, laciniis linearibus, quibus igitur ad multitudinem accedit. Talis non tantum in horto cultus, sed et spontaneus occurrit e. c. in monte Cobor. Quandoque tantum unum altitudine folium ita variat, alias etiam pleraque. Vaginae tam in hac varietate, quam in *α.* sunt albo-membranaceae, multifido-laciniaetae. *γ. foliis latioribus* (quantum in sicco videtur, glaucescentibus obtusis, misit Mauksch, in arenosis fossis lectum, quaerens an *R. scutati* an *Acetosellae* varietas? *δ. foliis hastatis: lobo medio ovali* (utrinque fere aequaliter angustatis) lateralibus oblique ovatis, misit D. Wolny.

Daphnoïdeae.

259. Daphne Mezereum.

Folia cuneiformia potius quam lanceolata, tenuissime ciliata, praesertim juniora. In silvis montanis Matrae, Tatrae, Croatiae, Slavoniae.

260. D. alpina.

In monte Merszin ad Korenicam Croatiae.

261. D. Laureola.

In umbrosis subhumidis ad Gesztes? et in Slavonia supra monasterium monachorum non procul Orahovica.

262. D. Cneorum. Cneorum Matthioli Clus. hist. p. 89.

Copiosum in silva Nyír Bátor dicta, et versus Ecsed.

Mauksch in mente calcinoso Szmolnik Töplicensi, ad Csaba, etiam inter Promontorium et Tétény in monte pone vineas, ad Palotam in lapidosis calc., ad Sz. László in arenosis sec. Horhi. Clusius eam in silvis editiore loco sitis ultra Arabonem nasci notat.

Aristolochieae.

263. Asarum europaeum.

In nemoribus Hungariae, Sirmii, Croatiae. Folia plus minus pubescunt pilis brevibus appressis, petioli villosi, lanative.

Plumbagineae.

264. Statice Gmelini.

Willdenow pro hac habet. In salsis et subsalsis planitie majoris hungaricae.

Valerianeae.

265. Valeriana montana.

Loiseleur *Valerianam* observavit in Pyrenaeis quam *heterophyllum* dixit, et in Fl. gallica t. 2. depictam exhibuit. Cum hac conferendae sunt varietates e Carpato adlatae.

Dipsaceae.

266. Scabiosa tatarica.

In arvis Diószegiensibus alibique ad altitudinem 5 — 7 pedum excrecit, notante Samuele Diószegi Debrecinensi Praedicatori.

267. S. spathulata mihi.

An *S. succisae* varietas. Caulis quem in specimine siccovidi, basi decumbens, radicans, erat truncatus; ceterum erectus, ramosus, ramis praeter pedunculum terminalem senis cruciatis, teres, medulla alba penitus fartus, glaber, laevis. Folia petiolata, glabra, brevissime tenuissimeque ciliata; radi-

calia obovato-subspathulata, obtusa cum brevissimo mucrone, obsolete remotissime crenata; caulina lanceolata, acuta, integerrima, aut uno alterove dente instructa. Petioli infimipilis raris longiusculis ciliati, reliqui nudi. Pedunculi teretes, tomentoso-canescens, terminales subsemipedales ramorum 2—4-pollicares. Flores subglobosi. Calyx corolla brevior: foliolis lanceolatis, acutis, inaequalibus, glabriusculis brevissime tenuissimeque ciliatis. Calyculi 5-dentati, mutici. Corollae aequales, 4-fidae, dilute violaceo-coeruleae (colore omnino ut in *S. succisa*), glabrae. Stamina corollulis longiora: filamentis setaceis, albis: anth. rubellis. Receptaculum conicum: paleis lanceolato-subulatis, setula brevissima terminatis, semina excedentibus. Semina . . .

Invenit Marchio Bonnay in pratis humidis ad Jaurinum 24. Aug.

Differt itaque a *S. succisa* caulium propaginibus basi radicanibus; caulibus ramisque faretis (qui in *A. succisa* fistulosi) foliisque calycibusque glabris flore brevioribus; calyculo mutico (nec 5—6-seto); paleis, corollulis germinibusque glabris, nec pubescentibus.

268. *S. succisa*.

In pratis humidis.

269. *S. pubescens* Willdenow = **nitida** vel **ciliata**.

Habitat ad agros Comitatus Scepusiensis eam primum inter Kesmarkinum et balneum sulphureum observavimus et in Cotta Zoliensi, ubi eam in Valle Dominorum obviam habuimus.

Maxime affinis est *S. arvensi*, pro cuius varietate eam primum habuimus, cum duratione, foliorum insertionem et variante forma, calycis caliculique statura, et seminum atque receptaculi forma eadem omnino conveniat; sed per multos jam annos sata nihilominus constanter diversam sese habuit.

Statura omnibus partibus majoribus; caule inferne glabro, superne pubescente pilis brevissimis glanduliferis, nec toto hirsuto pilis eglandulosis, longioribus subreversis; foliis nitidis glabris, ciliatis, nec hirsutis canescentibus; floribus majoribus; corollis albis, extus glabris. Florescentia 3 hebdomadibus priore.

Compositae.

270. *Eupatorium cannabinum.*

Caulis villosus. Folia plus minus pubescentia: in praedio Kák et in Syrmio legi specimina foliis glabris, tantum costis venisque pubescentibus. In silvis caeduis folia saepe integra. γ . In pratis humidis supra Soroksár prope Danubium caule, petiolis, foliisque tomentosis, incanis. δ . Occurrunt autem praeterea foliis glabriusculis, caulinis petiolatis, tripartitis, intermedio foliolo subpetiolato, lateralibus in petiolum decurrentibus; rameis vero subsessilibus, ternatis: foliolis longius petiolatis utrinque acutis, omnibus, medio nonnunquam tripartito.

271. *Tussilago alpina.*

Caulis seu scapus nonnunquam biuncialis, alius pede altior. Habitat in alpibus Arvensibus (Rohács), Scepusiensibus (Völkgrund, in der kleinen Kohlbach), Liptoviensibus (Kriván), Zoliensibus (Gyumbér), Szatmariensibus (Rosály), Marmarosiensibus (Petrosa, Izvoru-Kailor, Pop Ivan), Transylvanicis (Guttin), Croaticis.

272. *T. silvestris.*

In subalpinis et alpinis Croatiae: Merszin, Vilena draga, Plissivica, Velebich.

273. *T. Farfara.*

Locis humidis, praesertim argillosis, in fossis, ripis rivorum et fluviorum ubique.

274. T. alba.

Habitat in silvaticis montanis et subalpinis locis humidis potissimum ad rivulos, in Scepusio, Liptovia, Marmatia, in Cottu Bihariensi pone Rézbányam.

275. T. Petasites.

Ad fluvios, rivos montium Matrae, Scepusii, Liptoviae, Marmatiae, Cottus Szaladiensis (Keszthely), in Strimptura sub Petrosa, ad rivum prope speluncam calcaream pone Rézbányam, ad rivum supra Vetero-Budam, in vallibus Cottus Honthensis e. c. pone Börsöny etc.

276. T. spuria?

Ceterum omnino similis specimini a Willdenow misso sed lobi foliorum postici vix notabiliter bilobi. In Hungaria lecta.

277. T. hastifolia mihi.

A *T. spuria* diversa foliis duplicato-dentatis, cordato-hastatis, supra glabriusculis, subtus subtomentosis, canescentibus, lobis baseos altero margine incurvo altero patente. Prima omnium floret. Habitat

278. Aster alpinus.

In rupibus editis calc. alpinum carpaticarum.

279. A. hyssopifolius?

Videtur certe differre ab illo quem infra Tót Komlos reperi: caule humiliore (in loco natali vix sesquipedali), angustato-scabro; foliis erectis (nec patentibus), brevioribus, acutis (nec acuminatis); corymbo coarctato, duplo triplove minore; pedunculis subaphyllis: paucissimis nempe foliolo unico instructis; florum radio brevior. Habitat in subsalsis Cottus Csongradiensis infra Tarno et supra Szegedínium.

280. A. punctatus Pl. rar. Hung. II. t. 109.

Habitat in uliginosis silvaticis supra Cegléd, primum observatus infra Tót Komlos.

281. **A. canus** Pl. rar. Hung. I. t. 30.

Inter frutices non procul Versec et in subsalsis Cottus Békésiensis. In silva temesváriensi (loco humido cum Loto gracili).

282. **A. depressus** mihi.

Simillimus *A. pannonico*, sed caulibus adscendentibus, a basi ramosis, nonnunquam simplicissimis, unifloris, saepe bitrifidis, multifidis, pedunculis elongatis; praeterea florescentia praecoce, statura palmari, raro pedali diversus. Folia linearia, ciliata pilis. In subhumidis, subsalsis Cottus Pesthiensis (e. c. in Rákos, ad Biha, in praedio Bugac), Albensis (ad Káloz, Aba, Sz. Iván).

283. **A. pannonicus**.

Folia infima saepe dentata. An ergo limites inter hunc et *Tripolium*, Willdenow certe pro varietate *A. Tripolii* declaravit specimen a me eidem missum, quod a pannonico non distinguo. Ad stagna et paludes inter ipsas arundines. A M. a B. etiam *A. pannonicus* Jacq. ad *A. Tripolium* refertur, sed folia non sunt triplinerv. apice subserrata, verum subenervia: nervis lateral. obsoletis, supra per lineas 2 subsulcatas indicatis, integerrima, margine setis ciliata.

284. **A. Amellus**.

Habitat in clivis, collibus, montibus aridis per omnem Hungariam in ipsis etiam Comitatibus septemtrionalibus: Arva, Scepusio, Liptovia.

285. **A. scepusiensis** mihi.

Simillimus *A. Amello*. Radix perennis. Caules erecti, 1 — 1½-pedales, simplices, apice corymboso-ramosi; ramis unifloris, paucis 2 — 3-floris, teretes cum angulis a petiolorum margine utroque decurrentibus. Folia lanceolata, triplinervia, inferiora in petiolum marginatum angustata, summa

sessilia, infima remotissime serrata, obtusiuscula, reliqua integerrima, summa mucronata. Pedunculi aphylli versus florem incrassati. Calyx squarrosus: phyllis lanceolatis, acutiusculis, margine membranaceis, eodemque plerumque purpurascens, superiore parte patentibus. Corollae radius calyce triplo longior violaceus, ligulis linearibus, apice integerrimis aut subemarginatis. Discus calyce prope duplo longior, flavus, post anthesin cinereo-rubescens. Tota planta a pilis brevibus rigidulis scabriuscula et subcanescens. An *A. ibericus* M. a B.? Plerisque notis certe convenit.

286. A. Tripolium.

In Hungaria, si idem est cum *A. pannonico*.

287. A. salignus.

Pro hoc declarat Willdenow sed adhuc dubito. In Hungaria legi, sed loci non recordor. Videor mihi tamen in prato, quod in monte prope viam inter Gyöngyös et Paráds est legisse.

288. A. annuus.

In graminosis inter vineas Verovitiensibus, in silva, quae vivario inserit, ibidem nec non ad Darúvár.

289. Erigeron canadense.

In cultis ubique copiosissimum, praesertim in arenosis, ascendit etiam in septentrionalis regni provincias: Liptoviam, Scepusium, Arvam.

290. E. acre.

In pascuis, pratis siccis, glareosis calcareis sparsum.

291. E. alpinum.

Variat caule bi-tripollicari et spithamaeo, imo pedali (quale specimen misit Mauksch e Scepusio); 1 — 4-floro, quin etiam sexfloro; foliisque plus minus pilosis. Pappus primum albus demum rufescit. In alpihus Marmatiae (Petrosa et Pop Iván) et Scepusii.

292. **E. uniflorum.**

Radix perennis, obliqua, ramosa, nigro-fusca. Caules solitarii, nonnunquam plures ex eadem radice, palmares aut spithamaei, erecti aut adscendentes, subangulati, simplicissimi, pilis albis raris longiusculis, nonnunquam basi, alias versus flores densioribus adpersi. Folia lanceolata, aut lineari-lanceolata, acuta, integerrima, obsolete nervosa, ciliata, cacterum glabra, aut pilis adpersa, radicalia plerumque spathulato-lanceolata, in petiolum ciliatum attenuata, obtusiuscula cum brevi mucrone, caulina sessilia, superiora successive minora. Flos terminalis, unicus, rarissime bini. Calyx villosus, canescens; foliolis lineari-subulatis. Corollae radius purpureo-violaceus. Habitat in alpinis et subalpinis Croatiae, Velebich dictis. Etiam Scepusio misit Manksch. Generis autem distinctam plantulam caule tripollicari, 1-floro, foliis tecto: foliis ovato-lanceolatis, acutis, firmis, scabriusculis a pilis brevissimis calycem squamis subovatis obtusis pro *E. unifloro* misit. Manksch serius in lit. notavit *E. uniflorum* nostrum esse *E. alpinum* Helvetorum, vix a lapp. diversum (probabilius ex mente Wahlenberg).

293. **Bellis perennis.**

In caespitosis, pascuis. Floret prope totò anno.

294. **Solidago minuta, S. scepusiensis** mihi.

Habitat in alpinis Scepusiensibus, Liptoviensibus, Bereghiensibus, Marmarosiensibus.

295. **S. Virga aurea.**

Supra scaturiginem ad officinam vitrariam Jankovác in Slavonia legi specimina foliis ovatis in petiolum decurrentibus, tantum superioribus lanceolatis, sessilibus.

296. **S. arenaria vel stricta** mihi.

Haecc locis arenosis siccis crescens simili in solo occurrit in Borussia ubi pro *Virga aurea* sumitur, ut alpestris nostra

in Suecia (sec. Wahlenberg). In Austria autem, Helvetia, Italia, generatim in australioribus provinciis Europæ nostra in silvis crescens planta pro *Virga aurea* habita videtur ab antiquioribus botanicis: Bauhino, Matthiolo, Tournefortio etc. Differt caule teretiusculo, recto, calvo: foliis lanceolatis, inferioribus petiolatis, serratis, superioribus basi attenuatis, integerrimis; racemo subsimplici.

297. Chrysocoma Linosyris.

In montibus mediterraneis Cottus Pilisiensis, Albensis, Vesprimensis et basalticis Szaladiensis.

298. C. villosa Pl. rar. Hung. I. t. 58.

In monte Tokay.

299. Conyza squarrosa.

In silvis Budae, ad Quinque Ecclesias, montium Parnicensium Cottus Arvensis. In silvis montis Cobor a Com. Waldstein lecta est.

300. C. thapsoides.

Reperta a Wolny.

301. Inula Helenium.

Habitat in pratis humidis, salicetis et silvaticis.

302. I. Oculus Christi.

In montibus apricis Budae, in Somló Sz. György. In pratis siccis ad Korenicam.

303. I. britannica.

In humidis per totam fere Hungariam, in ipsa Marmatia.

304. I. disenterica.

In fossis, ad rivos, proxime supra Soroksár.

305. I. Pulicaria.

Ad vias, potissimum ubi aqua per hiemem restagnaverat, et quidem per omnem Hungariam (demtis fors septentrionalibus Comitatus), in ipsa Marmatia etiam legi.

306. *I. squarrosa* ? *obvallata* mihi.

Similis *I. salicinae*; sed foliis rectis, ovato-lanceolatis, scabriusculis, ramis caulem subaequantibus diversa. Caulis erectus, pedalis, altiorve, subsulcato-angulatus, scabriusculus, junior subpubescens simplex, apice in ramos aliquot unifloros, florem primarium non excedentes, sulcato-angulatos divisus. Folia ovato-lanceolata, acuta, basi cordata amplexicaulia, recta (non recurva) glabra, subtus lucida, nervo medio pilis brevibus adperso, remote dentata inter dentes scabra denticulis minutissimis. Flores caulis et ramorum terminales solitarii, foliis duobus tribusve lanceolatis minoribus, calyci contiguus bracteati. Calyces glabri, laxi: squamis lanceolatis versus apicem brevissime ciliatis. Corollae ut in *I. hirta*. Videtur itaque diversa ab *I. squarrosa* caule 3 — 5-floro; calycinis squamis non reflexis; foliis ovato-lanceolatis (nec ovalibus); calycinis squamis lanceolatis (nec ovatis). Ceterum folia subtus reticulato-venosa. Habitat in siccis Hungariae. Propior quam *I. squarrosae* est *I. Bubonium*.

307. *I. salicina*.

In pratis uliginosis, asperis; etiam locis siccis.

308. *I. Bubonium*.

In Harsányhegy et inter vineas Quinque Ecclesienses.

309. *I. hirta*.

In montibus et collibus apricis Budae, ad Maróth, Strigonii, in Matra, Hegyalja; ad Kömlő pone viam, in Banatu.

310. *I. germanica*.

In collibus montibusque apricis per Hungariam, Banatum, Slavoniam, Croatiam sparsa.

311. *I. ensifolia*.

In montibus apricis Budae, ad thermas Herculis, in Secpusio.

312. I. bifrons.

In silvis et fruticetis.

313. Bupthalmum salicifolium.

Habitat in Cottu Arvensi, Zoliensi, Barsiensi, in Banatu, Slayonia, Croatia.

314. B. cordifolium Pl. rar. Hung. II. t. 113.

Habitat in Banatu ad Oravicam, infra montem Sztáncsi-
lova versus vallem Almás, in hoc monte ipso ad thermas Her-
culis; ultra Modruss in monte Capella; non procul Szerednye
Cottu Bereghiensis ubique locis umbris humectis.

315. Bidens tripartita.

In fossis, ad rivos ubique, β . pumila in arenosis ad Va-
gum lecta est a Rochel.

316. B. cernua.

In fossis aquosis plerumque radiata, caule erecto 1—2-
pedali; in sabulo fluminum floribus discoideis, caulibus de-
pressis diffusis (c. c. ad Marusium in Banatu). β . Seu mi-
nima in turfosis Scepusii a Mauksch lecta est.

317. Anthemis saxatilis mihi.

Radix perennis, fasciculato-ramosa, sordide fusca, 3—
4 pollices longitudine aequans. Caules erecti aut adscenden-
tes, plures ex eadem radice, herbacei, filiformes, basi in 2—
4 ramos erectos divisi, tomento rariore seu villis decumben-
tibus canescentes, palmares aut spithamei, non raro simplicis-
simi. Folia longe petiolata, more caulis canescentia, subbi-
pinnata: pinnata nempe foliolis linearibus, acutis, simplicibus,
bi-trifidisque, crassiusculis, caulina successive minus com-
posita foliolis paucis, superiora trifida, summa saepe simpli-
cissima. Flores solitarii in singulis ramis erecti, longe pe-
dunculati, magnitudine *A. arvensis* aut paulo minores. Pe-
dunculi filiformes, canescentes, sub calyce perparum incre-
sati. Calyx hemisphaericus, tomentosus, imbricatus: squamis

pallidis, dorso viridibus, acutis, exterioribus ovatis, interioribus lanceolatis, obsolete denticulatis, nonnunquam aliquibus obtusis. Corollae radius albus, explanatus calyce longior: flosculis foemineis ad 16, tubulo brevi viridi; ligula apice rotundato-tridentata, dentibus obtusis brevissimis, nonnullis integerrimis. Discus convexus hemisphaericus: flosculis hermaphroditis tubulo viridi compresso-ancipiti, inferne latiore, limbo flavo: dentibus acutis, patulis. Stamina corollulis breviora: filamentis brevissimis albidis, antheris flavis. Germen oblongum, pallidissime viridescens, glabrum, in foemineis compressum latere interiore plano, exteriori convexo, in hermaphroditis teretiuseculum. Stylus flavus, bifidus, in stigmata parum e tubulo prominentia. Semina griseo-alba, glabra, subangulata, versus basin successive attenuata, apice margine patulo, obsolete quadridentato. Receptaculum hemisphaericum, paleaceum: paleis scariosis, flosculos aequantibus, apice tridentatis, acutis, i. e. apice emarginatis, raro truncatis, marginibus denticulo terminatis, nervo medio in mucronem longiusculum excurrente. Odor ingrate-aromaticus, non fortis. Sapor amarus. Habitat in saxosis montis Világos Cottus Aradiensis floret Majo. Schrader scribit, stirpem hanc nostram esse *A. saxatilem* Fl. Gall. assentiente De Candolle, qui eam a *montana* haud satis diversam putat.

318. **A. carpatica** mihi et Willden. Sp. Pl. III. 2179.

Radix perennis, primaria oblique transversa, ramosa, radículas filiformes exserens, nigricans. Caules plerumque solitarii, simplicissimi, erecti, striati, glabri, sub flore, non tamen semper, nonnihil pubescentes, uniflori, saepe ultra medium foliis sparsis obsessi, non raro tamen maxima parte aphylli. Folia omnia petiolata, glabra aut subpubescentia, radicalia longe petiolata, bipinnatifida i. e. pinnata, foliolis pinnatifidis (3 — 4-fidis), caulina pinnata, inferiorum foliolis

bifidis raro trifidis: foliis laciniisque linearibus, obtusis aut obtusiusculis, radicalium nonnunquam acutiusculis. Flos erectus, fere magnitudine *Chrysanthemi Leucanthemi*: pedunculo subangulato. Calyx hemisphaericus, glabriusculus squamis imbricatis, oblongis, obtusis, margine apiceque nigrosphaecelatis, *Chrysanthemi atrati*. Radius amplus, albus: ligulis apice simpliciter emarginatis, rarius bis emarginatis, obtustis. Discus hemisphaericus, planus. Receptaculum convexum, paleaceum; paleis acutis, apice fusco-nigris. Habitat in summitate alpis Marmarosiensis Pop Iván.

319. *A. Tatrae* mihi.

Radix perennis, oblique transversa, obscure fusca, radicales fibras exserens. Caulis erectus spithamaeus aut pedalis, striatus, inferne glaber superne pubescens, subcanescens, ramosus. Folia petiolata, pubescentia, bipinnatifida: pinnata scilicet, foliolis multifidis: laciniis linearibus, acutis, superiora simpliciter pinnata, foliolis extimis confluentibus. Flores solitarii, ramos terminantes, erecti, in pedunculis elongatis, bitripollicaribus, striatis, cano-pubescentibus. Calyx hemisphaericus: squamis subaequalibus, obtusis, glabriusculis, margine membranaceis, albidis aut subfuscescentibus, dorso versus apicem linea fusca notatis. Radius albus, calyce paulo longior: ligulis striatis, apice emarginatis, disco convexiusculo. Paleae intactae, aentae.

Habitat in alpe Rohács ad Pinum Pumilionem. Floret Augusto. Ab *A. alpina* differt: caule ramoso, multifloro: laciniis foliorum multifidis, linearibus: calycinis squamis paleisque intactis. Iisdem notis etiam ab *A. carpatica* diversa.

320. *A. arvensis*.

In arvis fere per totam Hungariam.

321. *A. austriaca*.

In agris, arvis, campis, solo potissimum arenoso frequens.

322. A. Cotula.

Ad vias agrorum, versuras et margines, in Croatia, Slavonia, Hungaria e. c. ad Gospich, in Cottu Albensi et Marmarosiensi.

323. A. tinctoria.

In graminosis siccis, potissimum inter et supra vineas, in m. Cobor.

324. Achillea lingulata Pl. rar. Hung. I. t. 2.**325. A. Ptarmica.**

Caulis teres, striatus, strictus, a sesquipedali ad tripedalem altitudinem. Folia saepius lineari-lanceolata, quae variant linearia, qualia Willdenow in definitione ponit: dentibus serrulatis. Corymbus plus minus densus et latus. Caulis pars superior foliaque superiora pubescunt, huic definitio Willdenow fallit. Habitat in graminosis silvaticis Com. Szathmariensis versus Színfalú et officinam vitrariam Comitum Károlyi, in silva Zagrabiae vicina, recentius Maximis dicta; in Cottu Bereghiensis inter silvas montanas in pratis in Slavonia. In pratis humidis silvaticis montium Avasiensium. Fl. Julio.

326. A. Clavennae.

In rupibus calcareis alpium Croatiae: Plissivicza et Velebich. Flor. Julio et Augusto.

327. A. pectinata Willd. Sp. Pl. III. P. iii. 2797.**328. A. ochroleuca.** Pl. rar. Hung. I. t. 31.**329. A. erithmifolia.** Pl. rar. Hung. I. t. 66.**330. A. tanacetifolia** Willden.

Haec in alpibus Rosály, Guttin, Petrosa et Pop Iván crescens, radiis roseis albisque varians et quidem *A. tanacetifolia* Willd. et *Millefolium purpureum majus* Bauh. prodr. 76. Moris. hist. 3. f. 6. p. 39. t. 11. f. 14. sed *A. tanacetifolia* All. ped. n. 666. et *A. foliis pinuatis*, pinnis semipartitis incisus et integris. Hall. helv. n. 108. videntur differre

et ad sequentem, quacum *Millefolium Tanaceti folio* Mors. 3. S. 6. t. 10. f. 3. p. 38. exacte convenit. In alpibus Scepu-siensibus e. c. in valle Völkensi, occurrit minor (vix pede altior, floribus albis, alibi etiam roseis). In alpibus Breghien-sibus tantum albis. Ubique squamae calycinae margine sunt nigro-fuscae.

331. A. tanacetifolia mihi. *Millefolium Tanaceti folio*. Moris. 3. p. 38. S. 6. t. 11. f. 3. Haec a praecedente (A. t. Willd. et All.) est species diversa ut cultura docuit. Eundem varietatem putat Willdenow. Folia lanceolata: foliolis de-cussatis more congenerum; extrema ordine minora, pinnae ovato-lanceolatae, pinnatifido-serratae *Tanaceti*. Habitat in silvis Budae, ad Versec.

332. A. distans.

Ad hanc a Persoon in Synopsi pl. citatur *A. compacta* Lam. en. I. 27. In vallibus silvaticis Banatus e. c. ad Ora-vicam.

333. A. magna.

Foliis radicalibus longissimis distincta caeterum similis *A. Millefolio*, a qua etiam magnitudine discrepat. In silvis. Rochel in Malenica, Wolny e Syrmio misit. In alpibus Mar-marosiensibus et Szathmariensibus, de hac sequentia notavi: Caulis sesquipedalis, angulatus villosus. Folia pilosa, pin-nata, foliolis pinnatifidis: laciniis argute serratis. Corymbus amplus, fastigiatus. Cal. squamae margine fuscae. Corollu-lae radii 5, subrotundae, vix crenatae, albae, purpureaeve. Pedunc. angulati: foliolis lineari-integerrimis stipati, calyces-que bracteaeque pubescentes. *A. Millefolium* β . floribus pur-pureis.

334. A. rosea.

Locis humidis tota adeo discrepat a *Millefolio vulgari*, ut pro distincta haberi possis; foliis planis, glabris, recurvatis,

semipinnatifidis; sinibus obtusis: pinnis ovatis, planis, dentatis, calycibus glabris. *A. rosea* h. par. *A. asplenifolia* Venten. est diversa, utpote in America crescens:

335. *A. ochroleuca* Ehrhart.

Hæc Ehrharto a Prof. Winterl missa ab aliis *A. ochroleucis* nostratibus diversa est: foliis caulinis circumferentia lanceolatis, pinnatis: pinnis brevibus distantibus, baseos indivisis sensim minoribus, ac deficientibus reliquis pinnatifidis: laciniis linearibus acutis, integerrimis, rachi nuda; calycibus cylindræcis.

336. *A. nobilis*.

In monte Cobor, ad Erdőbénye. *A. nobili* simillima aut eadem crescit in monte Cobor, Budac in montibus, ad Zsámbokrét, in Cottu Nitriensi, in clivis arenosis Cottus Pesthiensis, in Matra, in Cottu Borsodiensi, in Hegyallja, in Slavonia, Croatia (usque Gospich), in Cottu Honthensi ad Börsöny.

337. *Matricaria Chamomilla*.

In arvis, agrorum versuris et marginibus Sopronii; copiosissima vero in salsis Cottus Hevesiensis (e. c. ad Abony, Szolnok etc.); Jazygiae, Cottus Bihariensis.

Locis talibus Majo et Junio adeo copiosa, ut tota albeant.

338. *Pyrethrum uliginosum*. Pl. rar. Hung. *Chrysanthemum uliginosum* Willd. Sp. Pl. vol. III. p. 2152.

In arundinetis Tibisei, Danubii et Dravi e. c. ad Poroszló, in prædio Hatrongyos, infra Csougrád, inter Eszekium et Bellye, infra Darda et Cesa. Hungaris Papvirág. Floret Septembri.

339. *P. alpinum*.

In alpibus carpaticis e. c. in Kriván, in valle alpina

Völkensi supra catarractas, sub cacumine altissimo Lomnizensi.

340. *P. macrophyllum.* Pl. rar. Hung. I. t. 94.

In monte Papuk Slavoniae, in Croatia ad

341. *P. corymbosum.*

In fruticetis et silvis caeduis; quin et in subalpinis et alpinis Croatiae (velut in Merszin, Számár, Bádány) occurrit, sub alpe Marmarosiensi Petrosa, in alpe Pop Iván et misit Genersich pro novo, in alpibus Bereghiensibus.

342. *P. Parthemium.*

In Cottu Arvensi legit C. Waldstein.

343. *P. inodorum.*

Copiosum in arvis et inter segetes.

344. *Crysanthemum tenuifolium* mihi.

Affine *C. inodoro*, sed diversum caule erecto simplici, superne late corymboso-ramoso: floribus majoribus, calycinis squamis obtusis; seminibus omnino nudis, seu pappo destitutis.

Radix annua, ramosa, flexuosa, in fibrosas radículas divisa, fusca. Caulis solitarius, erectus $1\frac{1}{2}$ — $2\frac{1}{2}$ -pedalis, subulato-striatus, glaber, laevis, ultra medium indivisus, superne divisus in ramos longiusculos, simplicissimos, bifidosque, corymbum rarum constituentes, culmo tritici crassitie aequalis, crassiorve. Folia glabra, bipinnata, pinnulis simplicissimis bi-trifidisve, setaceo-filiformibus, acutissimis, apice albidis, inferiora petiolata: petiolis marginatis, carinatis, margine foliola simplicissima gerentibus. Flores ramorum terminales, majores quia in *C. inodoro*, fere magnitudine *C. Leucanth.* Pedunculi teretes, striati, sub calyce nonnihil incrassati. Calyx hemisphaericus, medio pro insertione pedunculi impressus, glaber: squamis obtusis, dorso linea eminente viridi instructis, exterioribus linearibus, interioribus lanceo-

latis, apice marginibusque membranaceis. Radius multi-(20-)florus: ligulis albis patentissimis, calyce longioribus, lineari-ellipticis, apice 3-dentatis. Discus hemisphaericus, flavus, corollulis in dentes breves acutos 5-fidis. Semina glabra, laevia, pappo destituta, superne paulo crassiora, utrinque sulcis binis exarata, hinc eminentias 4 longitudinales exhibentia, pallida, fusca. Receptaculum convexum, eminentiis foveolisque inaequale seu scabrum.

Habitat inter segetes et in agrorum versuris atque marginibus in Cottu Sümeghiensi e. c. ad Babocsam, in Slavonia.

345. C. montanum.

In Marmatia et Scepusio.

346. C. lanceolatum Pers. Syn. *C. heterophyllum* Willd.

In silvis Croatiae.

347. C. rotundifolium. Pl. rarior. Hung.

In Völkgrund prope cataractas, dein in alpe Guttin ad Kapnik-Bányam tum in alpibus Bereghiensibus. Misit etiam repetito Mauksch ex alpibus Scepusii. In alpe Rácskova et Ochnissiensi reperit Rochel.

348. Artemisia spicata.

In rupibus calcareis apricis alpium Scepusiensium. Receptaculum nudum conf. Jacq. austr. 5. app. t. 34. Wahlenberg putat diversam esse floribus majoribus nutantibus.

349. A. scoparia.

In collibus siccis apricis, in clivis arenosis, in aggeribus, in arvis, alibique per Cottum Pesthiensem, Hevesiensem, Albensem, Syrmiensem, Trencsinensem.

350. A. campestris.

Frequens in arenosis Cottus Pesthiensis, in graminosis siccis collinis potissimum inter vineas Vacienses, in Cottu Hontensi, in monte Tokay, ad Geresd et Pécsvárad, in monte arcis Devae, in Banatu, Syrmio, ad Rownye.

351. A. racemosa mihi.

Radix perennis. Caules erecti, subsesquipedales, obtuse sulcato-angulati, glabri, inferne simplices, superne pyramidato-ramosi; ramis erectis, simplicibus, nec nisi infimis subdivisis. Folia glabra, radicalia petiolata, pinnato-multifida, caulina sessilia, successive minus composita, superiora simplicia, ut foliola, linearia, acutiuscula. Flores subrotundi, erecti, pedicellati in racemis tenuibus, remoti, solitarii, ex axillis foliorum minorum pedunculis breviorum. Habitat in muris et rupibus Posonii; invenit et misit Rochel. Fl. Augusto.

352. A. saxatilis.

Habitat in montibus apricis mediterraneis (e. c. ad Palotam, in Csokai hegy), in Mecsek ad Quinque Ecclesias et in monte Harsány (petenda per Prof. Schuster).

353. A. nutans.

Spetata definitione esse potest. A Wölfn missa.

354. A. monogyna.

In salsis cis et trans Tibiscum e. c. versus Poroszló, prope pagum Kemenese, in Cottu Zemplinensi inter Szombor et Szerenes. In salsis Cottus Arad et Békés, Heves, Borsod.

355. A. maritima.

In Transsylvania reperta a Lerchenfeld, qui eam Hostio communicavit, a quo specimen habeo.

356. A. salina.

In salsis Cottus Arad, Békés, Bihar, Heves, Borsod.

357. A. pontica.

In clivis et montibus apricis Budae, in Hegyallja, ad Palotam, in montibus basalticis Cottus Szaladiensis (velut in Szigliget).

358. A. Absinthium.

In agris, agrorum marginibus, ad vias, in vallibus silvaticis, in lapidosis.

359. A. vulgaris.

In cultis, ruderatis, praesertim humidis ubique, ad sepes praesertim in alnetis.

360. Gnaphalium Stoechas.

In lapidosis litoralis Hungarici.

361. G. arenarium.

In clivis arenosis ubique.

362. G. dioicum.

In sterilibus montanis, muscosis, lapidosis. Maukseh legit inter *alpinum* eodem loco crescens, revera stolonibus praeditum et foliis radicalibus spathulatis. Occurrit etiam in alpe Rosály.

363. G. alpinum?

In alpibus Scepusii, Guttin. Wahlenberg a vero *G. alpino* L. in Suecia crescente et stolonifero diversum putat stolonum defectu.

364. G. silvaticum.

In alpibus, Scepusiensibus, Liptoviensibus, Marmarosiensibus, Bereghiensibus, Zoliensibus.

365. G. rectum.

In silvis et fruticetis ubique fere. Genersich idem misit sub nomine *G. supini*. Maukseh notat in lit.: *G. silvaticum* est *rectum*, ut *rectum* est *silvaticum*. (Etiam meo iudicio.)

366. G. supinum.

Habitat in alpibus Marmaros, (Pop Iván) Scepusiens., Liptoviens. (Krivan). Sub nomine *G. pusilli* missum a Genersich. In alpe Gynmber (C. Zoliensis) 1-florum, pollice minus occurrit.

367. G. pusillum?

Caulis pollicaris, semipollicaris, imo et brevior, saepe uniflorus. Calycis squamae totae fuscae, glabrae, acutae. In alpibus Bereghiensibus.

368. G. uliginosum.

Occurrit per omnem Hungariam, etiam in silvaticis subhumidis.

369. G. Leontopodium.

In rupibus subalpinis (e. c. inter Hradek et Sz. Iván) et alpinis (e. c. Rohács et Scepusii).

370. G. germanicum.

In Banatu, Cottu Sümeghiensi (e. c. ad Szöllös-Györök), in Scepusio infra Podolinum.

371. G. montanum.

In arenosis ad Sz. László (Cott. Veszpr.), Kökut, Gomba (C. Sümegh.), in monte Cobor, in montibus C. Soproniensis, Neogradiensis, Gömöriensis ubique fere locis saxosis duris, arenosis.

372. G. arvense.

In arvis et collibus potissimum arenosis frequens. In silva Ozoraensi et praedii Muth occurrit subsesquipedale, caule ad $\frac{2}{3}$ simplicissimo, nec a basi ramoso ut alias.

373. Carpesium cernuum.

In silvis montis Badacon, oppidi Sümegh, Cottus Baranyensis, versus Dravum, Slavoniae et Croatiae (Inter Jakoble et Zagrabiam).

374. C. abrotanoides.

In silvis Cottus Baranyensis prope Dravum cum priore.

375. Cineraria sibirica. Pl. rar. Hung. I. t. 16.

In prato Dumitru et subalpinis m. Guttin locis humidis.

376. C. campestris.

In pratis humidis planioris Hungariae, in alpinis Be-reghiensibus et Croaticis.

377. C. aurantiaca.

In monte Gerava (Gerau) legit Szontag.

378. C. discoidea mihi.

Radix perennis, primaria obliqua, pennam cygni crassitie aequans, nigricans, radículas filiformes, fuscas edens. Caulis spithamaeus, pedalis, simplicissimus, dense tomentoso-albus, subsulcato-striatus, erectus.

379. C. integrifolia.

In subalpinis et alpinis Scepusii, Liptoviae. In Világos Matrae.

380. C. longifolia.

In summa alpe Kesmarkiensi calc. loco septentrionali.

381. C. nuda vel **crassifolia.**

A *C. longifolia* omnino diversa videtur. In alpinis Croatiae Plissivica et Visszoesica.

382. C. pauciflora mihi.

Caulis spithamaeus, pedalisque tenuis (culmo tritici tenuior) simplicissimus, parcissimo tomento adpersus substriatus. Folia obtusa, parcissime tomentosa, radicalia cordato-ovata, inaequaliter dentata, caulina inferiora spathulata, integerrima dentatave, superiora linearia, integerrima. Flores solitarii aut bini, raro terni caulem terminantes, similes iis *C. campestris*; sed minores. In silva Varazdinensi Junio.

383. C. rivularis Pl. rar. Hung. III. t. 239.

In vallibus Matrae ad rivulos e. c. non procul Pata, unde pars ea Matrae Patai Matra dicitur. An est *C. crispa*.

384. C. cordifolia.

In valle Völkensi Scepusii, in alpe Kriván, in Petrosa locis udis.

385. C. alpina.

Ad catarractam Motieskensem infra Jarabam ad rivum, sub alpe Petrosa, inque Scepusio.

Folia utrinque albo-tomentosa, obtusa, radicalia petiolata, elliptico-spathulata; caulina inferiora lanceolato-spathu-

lata; cui utraque denticulata, posteriora versus basin integerrima, superiora linearia, integerrima. Flores 3—4, caulem terminantes, corymbum imperfectum constituentes: pedunculis tomentosis, bilinearibus aut semipollicaribus, ad exortum foliolo lineari, tenuiore stipatis. Calyx tomentosus, foliolis linearibus acutiusculis, fusciscentibus. Corollulae hermaphroditae omnes, hinc flores discoidei. — Affinis *C. integrifoliae*; an ejus varietas cultura doceat. Ex alpinis scopusiensibus primum misit Mauksch, dein Genersich.

386. Arnica montana.

In alpinis Rosály, Guttin et Bereghiensis Polyanina copiosissime, rarior in Pop Iván.

387. A. Doronicum.

In vertice montis Kriván occurrit. Caule bi-tripollicari, foliis brevioribus; foliis obtusis obovato-spathulatis, repando-dentatis, quo magis descendit versus silvam, eo longior est caulis, ut etiam pedalis evadat; semper simplicissimus, uniflorus, erectus aut ascendens. Folia plus minus dentata, dentibus semper raris remotis, nonnunquam nullis integerrima, obtusiuscula, aut acuta, caulina lanceolata, amplexicaulia; radicalia et saepe etiam caulina inferiora petiolata, elliptico-lanceolata. Legimus etiam in vertice alpium Petrosae, cacuminis Lomnicensis et alpium Rohács. E Scopusio misit Mauksch.

388. A. Bellidiastrum.

In alpinis Scopusii, Liptoviae, Croatiae. (Plissivica, Merszin.)

389. Doronicum Pardalianches.

Habitat in vallibus silvaticis e. c. supra thermas Herculis ad amnem Cserna; pone Lunkaszprie infra antrum; pone Rézbányam copiosum sub rupe Muncsel.

390. D. austriacum.

In silva supra Rézbányam, sub rupe Muncsel, inter Bogsan et Dogaeska, in alpibus Scepusiensibus, Liptoviensibus, Zoliensibus. In silva versus Carolostadium.

391. D. plantagineum.

In silvis Budae, Neoplantae, Syrmii, Cottus Bihariensis.

392. Cacalia albifrons.

In valle alpina Kolbach, in alpibus Petrosa et Krivan. Sub nomine *C. alpinae* misit Maukseh, pro hac probabilius etiam habet Genersich.

393. Senecio croaticus Pl. rar. Hung II. t. 143.

In alpibus et subalpinis silvis Velebich, nec non in silvis inter Zagrabiam et Jakoble.

394. S. vulgaris.

Valde variat: caulibus erectis et diffusis; ramosissimis et simplicibus tantum apice pro inflorescentia divisis, foliis omnibus pinnatifidis, et inferioribus obovatis; foliis caulibusque glabris, et tomentoso-canis (qualem in lapacidina Felső-Kékedensi legi), caule palmari brevioraque et pedali altioreve. Floribus corymboso-coarctatis et sparsis vel paniculatis. In cultis et rudertis, ubique.

395. S. viscosus.

Ad pagos, in silvis rarioribus, locis a cespite denudatis: in Cottu Hevesiensi, Arvensi, Scepusiensi, Zoliensi, Barsiensi.

396. S. silvaticus.

In silvis caeduis Budae, in Slavoniam ad officinam vitriariam Jánkovác, in Cottu Arvensi.

397. S. vernalis. Pl. rar. Hung. I. t. 24. *S. syrmienensis* mihi.

Ad sepes vinearum inter Ireg et Velika Remete in Syrmio.

398. S. montanus.

Simillimus *S. rupestri* nostro, sed altior, radice annua, caule foliisque glabris, inferioribus foliis lyrato-pinnatifidis. Pedunculi calyresque dum emergunt, albo-sublanati. In silva montis Kányahegy, ad Felke-Bányam.

399. S. rupestris. Pl. rar. Hung. II. t. 128.

In arena infra Rézbányam, in rupibus Matrae sub Disznókő, in rupibus calcareis Croatiae: montis Merszin, Plis-sivica etc.

400. S. incanus.

In alpihus Marmarosiensibus, Scepusiensibus et Liptoviensibus, summa juga tenet.

401. S. abrotanifolius.

In alpihus et subalpinis montium croaticorum Velebich raro est caule unifloro, saepius bi-4-floro, spithamaeo — pedali, foliisque glabris; pedunculis subpubescentibus, radio aurantio in alpihus carpaticis vero (caemine Lomnitzensi et Kriván) caule 3—5-pollicari, semper unifloro, pedunculoque tomentoso, floribus prope duplo majoribus, radio flavo. Calycis squamae in utroque apice nequaquam sphacelatae, sed marginibus apiceque purpureae, praeterea, quod de carpatica planta recte monuit Mauksch, radii flosculi filamenta quaedam castrata gerunt at adeo ex Linnæo nemo hunc determinare queat, et ad Arnicas potius pertineat.

402. S. tenuifolius.

In aggeribus et silvis caeduis atque fruticetis per australiorem Hungariam, Slavoniam, Croatiam, Banatum.

403. S. Jacobaea.

In pascuis, aggeribus, fruticetis, silvis caeduis.

404. S. aquaticus.

In paludosis inter arundines et carices, in fossis.

405. **S. paludosus.**

In pratis uliginosis et paludibus inter arundines caricesque per Comitatum Pesthiensem, Albensem, Tolnensem, Baranyensem, Hevesiensem, Csongrádiensem, Békésiensem, Bihariensem, Szathmáriensem (c. c. Ecsédi Láp) et Jazygiam.

406. **S. nemorensis.**

Habitat in nemoribus etiam subalpinis, imo et ex alpinis Scepusiensibus habeo specimen a Mauksch sub nom. *Doriae* caeterum ubique sparsus occurrit in silvis montanis, non autem planis.

407. **S. ovatus?**

Folia tum magis ad lanceolatam, quam ad ovatam formam accedunt. In silvis Croatiae.

408. **S. Doria.**

In pratis subhumidis planioris Hungariae, in Syrmio, Banatu, in der Aue zu Presburg. In aliis regionibus in silvis habitare notatur.

409. **S. umbrosus.** Pl. rar. Hung. l. t. 89.

In silvis subalpinis et vallibus Cottus Liptoviensis (sub Chocs in valle thermarum Lueskyensium), Arvensis versus arcem Arvam, Thurociensis (in valle Zsiehlarma), Zoliensis. In montibus Parnicensibus, versus Thurociensium Kriván legit Wahlenberg.

410. **S. Doronicum.**

In summitate alpis Petrosa, in latere alpis Plissivicae, in alpinis Velebich.

411. **Xeranthemum annuum.**

In aridis, potissimum arenosis.

412. **X. inapertum.**

In Syrmio ad Gergeteg, in Banatu ad Jókut, Kesziuc, Mehadiam.

413. *Carlina acaulis*.

Habitat in collibus et montibus apricis planioris Hungariae.

414. *C. aggregata* Willd. *C. simplex* Pl. rar. Hung. II. t. 152.

415. *Centaurea bicolor* Rochel.

Est *C. montana*. In monte Malenicza.

416. *C. mollis* Pl. rar. Hung. III. t. 219. *C. montana* Jacq.

Habitat in Scepusio, unde a Th. Mauksch missa.

417. *Carthamus lanatus*.

Budae, ad Quinque Ecclesias, Magno-Varadinum, ad Csernye in arvis praedii Inota (Horhi).

418. *Carduus nutans*.

In marginibus, aggeribusque agrorum, in pratis siccis copiosissimus ad pagos.

419. *C. acanthoides*.

In ruderalis, viis, arvis, pascuis vetustis, per totam Hungariam.

420. *C. hamulosus*. Pl. rar. Hung. III. t. 233.

Budae in montanis, in pratis Cottus Pesthiensis, Hevesiensis, Szabolesensis, Temesiensis (inter Aradianum et Temesvarinum), Szathmariensis et Marmarosiensis; differt a *C. collino* foliis profundissime pinnatifidis: laciniis oblongis, 4-lobis; lobulo infimo sursum inflexo, margine racheos undulato-crispo; calyce duplo majore: squamis etiam post florescentiam patentibus apice recurvis, pilis arachnoideis convexis.

421. *C. candicans*. Pl. rar. Hung. I. t. 83.

In montibus arcium Versecensis et Devensis.

422. *C. collinus*. Pl. rar. Hung. III. t. 232.

In collibus vitiferis Gyöngyösi, Tokayni, Vacii, ad Nagy Maros, item in Szamárhegy procul Strigonio et ad Maroth.

423. C. Personata.

In alpinis et subalpinis praesertim in dis Cottus Bihariensis (pone Rézbánya), Cottus Arvensis, Scepusiensis, Liptoviensis, Zoliensis.

424. C. crispus.

In silvaticis subudis Matrae, Scepusii, Syrmi, Banatus.

425. C. arctoides, Cirsium arctoides Scop. carn. II. n. 997. t. 53.

Ad Szluin et lacus Plitvicenses.

426. C. alpestris. Pl. rar. Hung. III. t. 267.

In alpinis Velebich.

427. C. pannonicus.

Habitat in silvaticis, frequens in silvis caeduis Budae, ad Maróth, Strigonii.

428. C. defloratus mihi.

Radix perennis. Caules mox supra basin divisus in ramos 2 — 4, raro 5, erecti, saepius declinati, 4-anguli: angulis binis oppositis obtusis, binis alatis a foliis decurrentibus, inter angulos striati, pilis raris brevibus adpersi, demum omnino calvescentes. Folia subcarnosa, fragilia, supra nuda, laevia, profunde viridia, subtus pilis raris brevibus adpersa, praesertim pallidiora, margine spinis subinermibus setisque brevibus ciliata, radicalia summaque caulina et ramea integra, illa late, haec anguste lanceolata, caulina infima semi-, reliqua plane decurrentia, marginibus subinermi-spinoso-ciliatis, plerumque pinnatifida: laciniis margine inferiore lobo auctis, nonnunquam omnia tantum sinuato-lobata: lobis inferioribus sinu minore in lobulos binos divisus. Flores tot quot rami terminales, primum erecti, post florescentiam nutantes, in pedunculis elongatis, striatis, plus minus lanuginosis lanugine appressa, inferne angulatis, sub calyce teretibus. Calyx ovatus: squamis lineari-subulatis, setaceo-mucronatis, inermibus,

tenuissime brevissimeque ciliatis, patentibus, interioribus purpureis. Corollulae pallide purpurascens: laciniis angustilinearibus, aequalibus, acutiusculis; tubulo infra dilatationem albo. Filamenta dense villosa, alba; antherae coeruleo-violeae; apice purpurascens, basi alba bidentatae, post emissum pollen expallescentes. Germen oblongum, subcompressum, album, calvum. Stylus filiformis, inferne albus. Stigma simplex, annulo tumido discretum, cum styli parte superiore purpureum. Semina Receptaculum Habitat in subalpinis Carpati. Fl. Julio.

428a. **C. glaucus** mihi. *C. seminudus*.

Aut varietas *deflorati*, aut distincta species, eidem proxima; sed differt 1) caule altiore, minus ramoso, plerumque tantum in 2 ramos diviso, nonnumquam simplicissimo, manifestius tetragono, calvo, rore cano detergibili glauco, laevissimo; 2) foliis majoribus (longioribus latioribusque), inaequaliter serratis, setaceo- (nec subspinoso-) ciliatis, glaucis, omnino calvis; 3) florescentia seriore. Caeterum descriptio prioris huic applicari potest. Folia subrecurva, subtus concava. Habitat in subalpinis Cottus Liptoviensis, Zoliensis et Scepusiensis.

429. **C. radiatus**. Pl. rar. Hung. I. t. 11.

In montibus apricis Budae. Ad Serratulam refertur a Marschall a Bieberstein in Fl. taur. cauc.

430. **C. nitidus**. Pl. rar. Hung. I. t. 52.

In collibus et montibus calcareis ad Palotam et Inotam. Balbis scribit *C. Lycopifolium nitido* nostro ut ovum ovo similem esse.

431. **C. mollis**.

In collibus et montibus, apricis Budae, Agriae et Tokayni.

432. C. vel Cnicus lanceolatus.

In aggeribus, pascuis, arvis vetustis, silvis rarioribus et caeduis fere ubique.

433. C. vel Cnicus eriophorus.

Ibidem.

434. Cnicus heterophyllus.

In pinetis Scepusii, in pratis sub Krivan.

435. C. rivularis.

Folia radicalia nonnunquam integra. In pratis humidis Cottus Arvensis, Veszprimensis. Ad Rátoth occurrit medius inter *C. rivularem* et *montanum*. Caulis faretus medulla alba. Squamae calycis tenuissime ciliatae in hoc *rivulari* et *montano*.

436. C. montanus.

In siccis montibus Croatiae.

437. C. pauciflorus.

In pinetis sub alpe Petrosa, ad Borsam et in uliginosis paludis Ecsédi-Láp prope N. Károly.

438. C. flavescens mihi.

Si bene memini, est idem cum eo, quem quondam in pratis inter silvam Bakony cum Winterl reperi. Caulis 4—5-pedalis, erectus, sulcato-angulatus, glaber, laevis. Folia inferiora spithamaea, pedalia, pinnatifida, laciniis apiceque lanceolatis, remote dentatis, subtrinerviis; superioribus pinnatifido-serratis, lanceolatis, omnibus utrinque glabris, margine setis subpungentibus spinosis. Flores terminales conferti, alii subsessiles, pedunculati alii, stipati bracteis lanceolatis, subspinoso-ciliatis. Calyris squamae lanceolato-subulatae. Corollae flavescentes.

439. C. oleraceus.

In humidis ad Bay, in Syrmio, Banatu, Cottu Sárosiensi, Scepusiensi, Marmarosiensi.

440. **C. Erisithales.**

Locis udis sub alpe Rosály, inter Hradek et Sz. Iván, in monte Simnik ubi Mauksch legit.

441. **C. glomeratus** mihi.

Radix perennis. Caulis sesqui- aut bipedalis, calamus crassitie aequans, angulatus, pilis brevibus obsitus, indeque scabriusculus, simplex. Folia profunde pinnatifida, laciniis lanceolatis, sublobatis, trinerviis, acutis, setaceo-ciliatis, scabris a punctis eminentibus pilisque brevibus, quibus folia utrinque sparse obsita sunt. Flores terminales, 5 — 6 congesti, subsessiles, mediocres, foliis lineari-subulatis stipati. Calyces glabri: squamis infimis ovato-lanceolatis, seta terminatis, reliquis linearibus muticis, omnibus, quantum in siccis video, appressis. Corollae purpureae. Reliqua generis. Habitat ad viam Carolinam Croatiae locis siccis. Fl. Julio.

442. **C. acaulis.**

In siccis Croatiae.

443. **Serratula tinctoria.**

In silvis et fruticetis atque in pratis humidis per totam Hungariam.

444. **S. pinnata** mihi.

Radix perennis, ramosa, superne reliquiis petiolorum fibrosis obsita, nigro-fusca. Caulis erectus 2 — 5-pedalis calamus crassitie aequans, dense angulatus superne sulcatus, glaber, laevis superne ex axillis ramifer: ramis alternis, apiceque caulis subtomentosis canis, demum calvescentibus. Folia caulina copiosa, alterna, glabra, pinnata: inferiora petiolata, pinnis paucis (2 — 3-paribus), extima longius lanceolata: pinnae oppositae alternaeque, inferiores discretae, breviores confluentes margine angusto, acuminato, argute serrato, omnes, demptis summis linearibus integerrimis, apice subulatis. Folia superiora tomentosa. Flores paniculati caulem terminantes,

pauci in ramis. Calyces ovati, tomentosi, squamis ovato-lanceolatis, apice subulatis. Flores non vidi. Conf. cum ic. *S. coronatae* in Boec. Mus. ic. 45. t. 37. et Gmel. sib. II. 49. t. 20. Habitat in fruticetis Cottus Bereghiensis, ad Munkács, Beregszász, Musay.

445. **S. pygmaea.**

In alpinis Scopusii.

446. **S. discolor.**

A Maukseh in alpinis Scopusii repertâ.

447. **Lampsana foetida** Willd. Sp. Pl. *Hyozeris foetida* L. Pl. rar. Hung. I. t. 49.

In silvis et fruticetis Cottus Bihariensis, in Croatia et Bânatu.

448. **L. communis.**

In silvis, hortis, sepibus.

449. **Leontodon nigricans** mihi et Schult. Oe. Fl. II. 405.

Radix perennis. Folia radicalia runcinata aut subruncinata: laciniis inaequalibus recurvis, majoribus uno alterove denticulo instructis, reliquis integerrimis, versus basin angustata, nec tamen in petiolum desinentia, verum sessilia, utrinque glabra, laevia, nitida, subtus venosa. Flores solitarii in pedunculis radicalibus seu scapis fistulosis, striatis, inferne nudis, superne pilis tenuissimis adpersis, subangulatis, in fructu parum declinatis, sub florescentia omnino erectis, strictis. Calyx ovatus: exterior constans squamis duplo brevioribus, imbricatis, ovato-lanceolatis, cuspidatis, obtusiusculis, patentibus extus nigricantibus; interior sulcato-angulatus, constans squamis linearibus extus bi-tricarinnatis, intus canaliculatis, apice obtuso denticulato nigricantibus et conniventibus, margine membranaceis. Corolla magnitudine Taraxaci, sed aureo-flava: ligulis linearibus, distantibus, striatis, apice incisodentatis nigricantibusque; tubulis albis, nitidis. Stamina

filamentis e tubulo exsertis, capillaribus, flavis; antheris in tubulum apice 5-dentatum, angulatum connatis. Germen oblongum, compressum, versus basin angustatum, glabrum, laeve, album. Stylus capillaris, nudus, flavus, apice bifidus in stigmata revoluta. Semina figura germinis, compresso-quadrangula: angulis versus apicem denticulatis, apice in stipitem pappi producta. Pappus pilosus (ut recte Schreber in Gen. Pl. et Willd. in Sp. Pl. quem vero Linnaeus et cum illo Persoon in Syn. plumosum errore enuntiarunt) stipite brevior. Receptaculum nudum, foliolis punctatum. Odor plantae virosus (ut in *Lactuca Scariola* et *virosa*). Sapor perquamarus. Omnes partes lactescentes. Habitat in alpibus carpat. Differt ergo a *Taraxaco*: scapis basi glabris (nec dense pilosis), fructificantibus subdeclinatis (nec declinatis, decumbentibus), foliis glabris, sessilibus, laciniis integerrimis subdentatisque (nec petiolatis pilis tenuissimis decumbentibus tectis), laciniis denticulatis, calycibus extus nigricantibus: squamis exterioribus ovato-lanceolatis, interea duplo aut plus quam duplo brevioribus (nec calycinis squamis viridibus): exterioribus lanceolato-linearibus, interiores subaequantibus, corollis aureo-flavis, apicibus ligulorum nigricantibus, florescentia paulo seriore.

450. **L. serotinus.** Pl. rar. Hung. II. t. 114. M. B. Fl. taur.-cauc. II. 246.

Folia hieme pereunt, vernalia 2 — 5 in plerisque subruncinata, multo minora reliquis ac velut imperfecta; quae proxime sequuntur, integra oblongo-ovata, sinuato-denticulata.

451. **L. corniculatus** mihi et Schult. l. c. 406. *Dens leonis folio tenuissimo.* Bauh. prodrom. 62?

Radix perennis. Scapi seu pedunculi radicales tenues,

teretes, fistulosi, inferae purpurascens, basi lanati, superiore parte pilis tenuissimis, albis pubescentes, ad flores recti, cum fructu declinati, demum prostrati, apice incurvo fructum erigentes. Folia petiolata, subbipinnatifida, laciniis fere ad rachin usque discretis, sublinearibus, majoribus, remotis, irregulariter dentatis, saepe subpinnatifidis, inferioribus recurvis, interjectis inter majores minoribus, inaequalibus. Calyx oblongus; exterior patens: laciniis ovato-lanceolatis, margine membranaceis, interiore calyce triplo brevioribus, interioribus linearibus, uno vel utroque margine membranaceis; utrisque apice incurvo obtuso membranaceis, purpurascens, sub apice extus dente prominente corniculatis. Corolla plus quam triplo minor floribus Taraxaci, coloris et structurae ejusdem, sed ligulae truncatae aut emarginatae, vix notabiliter denticulatae. Genitalia ut in Taraxaco sed minora. Semina nigro-fusca, oblonga, compressa, sulcata, superiora versus successive latiora, costis praesertim versus apicem mucronatum denticulatis. Stipes pappi setaceus, semine prope duplo longior. Pappus pilosus seu simplex, stipite suo brevior, albus. Habitat in clivis et collibus Buda-Pesthiensibus. Receptaculum convexum, elevatis punctis v. minutis tuberculis scabrum. Fl. a fine Martii. Differt a *L. Taraxaco*: scapis basi lanatis; foliis subbipinnatifidis: laciniis fere ad rachim usque discretis, sublinearibus, remotis, saepe subpinnatifidis; calyce exteriori patente: squamis ovato-lanceolatis, interiore triplo brevioribus (nec linearibus, calycem interiorem prope aequantibus, recurvato-squarrosis) utrinque calycis squamis extus sub apice dente prominente corniculatis (quod non in Taraxaco); corollulis pallide flavis, truncatis aut emarginatis, vix notabiliter dentatis; seminibus nigro-fuscis, costis et angulis infra medium denticulatis, cuspe dimidii seminis longitudine (nec speciminibus cinerascens, ultra medium laevibus, vix

quarta parte apice denticulatis, cuspidе seminis quartam partem subaequante: omnibus partibus multo minoribus.

452. *L. lividus*. Pl. rar. Hung. II. t. 115.

453. *Apargia aurantiaca*.

Radix perennis, primaria obliqua, nigricans, pennam aserinam crassitie subaequans, senescendo praemorsa evadens, radículas filiformes alidas demittens, plerumque tantum unicum foliorum fasciculum edens. Folia radicalia quaterna—octona, 2—4-uncialia, lanceolato-oblonga, versus basin in petiolum angustata, obtusiuscula, remote repando-dentata, glabra. Scapus tantum non semper solitarius, erectus, semipedalis aut spithamaeus, nec raro altior, simplicissimus, strictus, striatus, glaber, sub flore incrassatus, hirtus, nigricans, ibidemque duobus foliolis linearibus hirtis instructus, caeterum aphyllus. Flos magnitudine *A. hispidae*, erectus. Calyx nigricans: squamis linearibus, obtusis, pilis nigricantibus rigidiusculis, hispidis, margine albidis. Corolla aurantiaca: tubulis albidis; ligulis striatis, apice truncato-5-dentatis, calyce fere longioribus. Filamenta albida, capillacea, tubulo inserta. Antherae flavae, exsiccatione expallescentes. Germen oblongum, album, glabrum. Stylus aurantiacus, filiformis, apice bifidus in stigmata subrevoluta. Pappus sessilis, plumosus, albus, demum calyce longior. Receptaculum nudum. Ex itinere Marmarosiensi secundo retuli plantam similem, sed scapo ad medium tantum glabro, inde successive magis magisque pubescente superne hirta, foliis remote denticulatis, ciliatis, utrinque subhispidis. An haec non docent, *A. aurantiacam* et *croceam* per varietates intermedias conjungi? Quaerit etiam Schultes: an non huc potius ad *L. croceum* Haenke pertineat? Habitat in alpibus marmarosiensibus Transilvaniae vicinis, et in finitimis hujus provinciae. Fl. Aug. et Sept.

454. **A. alpina.**

Habitat in summis alpidibus Scepusii, Liptoviensibus, Zoliensibus, a Wahlenberg etiam lecta. A Genersich sub nomine *A. annuae*.

455. **A. crocea.**

Willdenow *Leontodon croceum* Haenkei ad *A.* suam *croceam* citat, hancque in alpidibus carpaticis habitare dicit, sed si planta, a Sieber sub nomine *A. Haenkei*, addito synonymo Willd. missa, est *L. croceum* Haenk., tum enim vera hujus planta et ab *A. aurantiaca* nostra et ab *A. crocea* Willd. differre videtur, magis tamen ad nostram accedens: est enim omnibus notis eadem, nonnisi foliis rachi subtus pilis aliquot longiusculis adpersis, inferiore parte ciliatis diversa, quae tamen et in marmarosiensibus speciminibus variant.

456. **A. media** inter *A. croceam* et *hastilem*, aut inter hanc et *hispidam*.

Radix primaria oblique transversa, demum praemorsa, radiculaeque nigro-fuscae, filiformes. Folia radicalia 4 — 6, lato-lanceolata, sessilia versus basin quidem angustata, nec tamen petiolata, acuta, repando-dentata, apice dentibusque mucronatis, supra setis albis adpersa, subtus crebrioribus hispida, indeque scabra, setae seu pili simplices pauciores apice furcati. Scapus erectus, subsuleato-angulatus, omnino aphyllus, per totam longitudinem pilis raris adpersus, sub calyce parum incrassatus, pilis setisque albis, simplicibus apiceque furcatis plus minus hispida. Flos major quam in *A. hastili*, erectus. Calyx squamis linearibus, obtusiusculis, e pilis setisque albidis, longiusculis, simplicibus canescens, hispidusque. Corollae flavae: ligulis truncatis inciso-dentatis, apice fusciscentibus. Caetera priorum.

Habitat in alpidibus Zoliensibus. Fl. Augusto.

Differt ab *A. hispida* foliis petiolatis, scapo striato, foliolis aliquot adperso, superne non incrassato, dentibus foliorum majoribus, apice obtusiusculo; pilis omnium partium, potissimum scapi et foliorum densioribus, plerisque furcatis, brevioribus, praesertim calycis. Huic similis lecta est in alpinis Velebich, de qua sequentia notavi: Folia sinuato-dentata, dentibus patentibus aut recurvatis, saepe supra denticulo auctis, subtus aut utrinque hispida, pilis albis, simplicibus, paucissimis apice bifidis. Scapus glaber hispidusve aut tantum setulis brevibus albis adpersus. Calyx hispidus setis albis. Pappus plumosus.

457. *A. hastilis.*

Habitat passim per totum regnum, potissimum in graminosis subhumidis.

458. *A. dubia.*

Omnibus notis, quae a Willdenow in Sp. Pl. adferuntur. Addendum tamen habeo, scapum basi nonnunquam pilis raris adpersum esse. Folia obtusa aut obtusiuscula cum brevissimo mucrone. In graminosis silvarum et ad margines harum prope acidulas Bartphenses, ubi primo intuitu pro *hastili* habui. Folia in petiolum angustata. In alpinis Kriván et Velebich.

459. *A. sinuata* mihi.

Radix perennis, obliqua, nigro-fusca, radículas filiformes edens. Folia radicalia, erecto-patula, sinuata: laciniis remotis, sublanceolatis, patentissimis, antrorsum nonnihil incurvatis, apice brevissime mucronatis, margine caeterum integerrimis, utrinque laete viridibus, scabriuscula a punctis elevatis setulisque patentibus brevibus sparsis furcatis, similibusque densius ciliata. Rhachis albida. Petioli semiteretes, tenui foliorum margine cincti, glabri, laeves, nitidi. Scapi spithamæi altioresve, teretes, striati, omnino aphylli, per totam

longitudinem setulis raris brevibus albis adpersi, infra calycem incrassati. Calyx ovato-cylindraceus, pilis albis longiusculis indivisis hispidus, sulcato-angulatus: squamis carinatis, linearibus, exterioribus triplo longioribus, acutiusculis, apice nigricantibus. Corollae et genitalia flava, seminaeque cum pappo et receptaculum ut in aliis speciebus. Similis *A. dubiae*, sed folia sinuata: laciniis remotis lanceolatis; scapi aphylli, setis sparsis hispiduli, calyx oblongus, setis longioribus hispidus. Habitat in rupibus subalpinis Croatiae.

460. *A. incana*.

Habitat in collibus et montibus locis apricis siccis, quin et in alpidibus et subalpinis e. c. in monte Merszin ad Korenicam, in alpidibus Plissivica et Velebich (ubi pumila vix 4 pollicibus altior occurrit); in rupibus calc. legit Mauksch, loco simili vidimus natam in valle Vilena draga prope Korenicam, in Malenica monte legit Rochel, in montibus ad B. Fured hortulanus. Saepius tota planta incana, etiam calyx pilis admodum brevibus, apice stellatim divisis, alias scapi apice et calyx basi pubescens pilis seu setis longioribus intermixtis. — α . Foliis repando-dentatis, scapoque minus densis pilis canescentibus, calycibus hispidis. Budae lecta in montibus apricis. — β . Foliis obtusis, integerrimis, mollis a pilis densissimis brevibus multifidis incanis. Calyce nigrescente, a pilis longioribus canescente; corolla calycem parum excedente. Scapus raro spithamam aequans. Folia sesqui- aut bipollicaria. Habitat in alpidibus Scepusii rara. An distincta species sit, cultura tentandum. — γ . Foliis sinuatis: dentibus patentissimis. In silvis praedii Eszeny ad Isztinér ab Horhi lecta.

461. *A. obtusa* mihi.

Radix primaria, recta, brevis, basi in radículas vix pollicis longitudine divisa, fusca. Scapus subpedalis, sulcato-striatus, glaber, aut omnino nudus aut foliolo subulato supra

medium instructus, sub calyce non incrassatus. Calyx glaber. Cetera floris, ut in plerisque. Folia obverse lanceolata, obtusa, remote, grosse dentata vel crenata: dentibus obtusis, his apiceque raro denticulo brevissimo obtuso mucronatis, utrinque plus minus hispida, setis seu pilis longiusculis, simplicibus. Ubi legerim non memini.

462. *A. autumnalis.*

Magnitudine, foliorum forma, tegmine valde variat: in subsalsis ad Arok-Szállás, Aszaló etc. palmaris, glabra, calycibus subpubescentibus; alibi in pratis communiter spithamaea aut paulo altior, tota glabra; in vallibus umbrosis pedalis aut subpedalis foliis laciniatis. Folia alia sinuato-dentata: dentibus obtusis; alia profundissime pinnatifida: dentibus linearibus acutis longis; alia forma intermedia; sunt omnino glabra, in aliis subhispida. Lumnitzer pro *Leontod. Hedyppoide* proposuit.

463. *A. crispa.*

In asperis, rupestribus ad Korenicam in Vilena Drága, occurrit scapis pluribus (4—6), spithama brevioribus. Pili foliorum plerique quidem apice trifidi, sed etiam quadrifidi et multifidi. Scapi pilis bi-trifurcatis adpersi. Calyx et summa pars scapi pilis longioribus simplicibus obsita. Similiter se habet specimen a Balbisio pro *A. Villarsii* missum.

464. *A. hispida.*

Etiam haec non parum variat: α) In Merszin lecta scapis erat ceterum glabris, sub calyce nonnihil incrassatis hirtis, pilis simplicibus, bi-trifurcatis, multifidisque: foliis sinuatis dentibus apiceque obtusiusculis, canescentibus, pilis bifurcatis, paucissimis trifurcatis. — β . In alpihus Zoliensibus et Liptoviensibus foliis fuit supra glabriusculis, subtus subhispidis: pilis simplicibus, quibusdam apice bifidis; scapis glabriusculis,

sub flore nonnihil incrassatis, hirtis: pilis seu setis simplicibus, bifidisque; calycibus hispidis, setis longioribus simplicibus: similis in Kriván occurrebat foliis tamen latioribus, fere obovatis. Vulgaris non tantum solo calcareo, ut notatum lego, sed et subarenoso, argillaceo in siccis apricis obvia est. Folia plus minus sinuato - aut repando - dentata.

465. A. setosa mihi.

Radix perennis, fusiformis, subspithamaea, inferne ramosa, nigro - fusca. Folia radicalia, lanceolata, sinuato - dentata, basi in petiolum angustata, dentibus apiceque acutiusculis, subcallosis, setis albis, longiusculis, rigidis, apice multifidis hispida. Scapi solitarii, bini, raro terni ex eadem radice, spithamaei aut paulo altiores, erecti, simplicissimi, subsulcato - angulati, foliolis duobus linearibus instructi, altero versus basin, supra medium altero, inferne setulis brevibus raris adpersi, superne glabri, sub calyce subincrassati. Calyx glaber, subpubescens: squamis lanceolato - linearibus, acutis. Pappus substipitatus, plumosus. Reliqua congenerum. Spectata definitione ceterum cum *A. incana* convenit, sed folia sinuato - dentata, subbruncinata, et scapi pilis simplicibus furcatisque adpersi.

466. Tragopogon pratensis.

In pratis siccis inde ab Austriae limitibus (in Cottu Sopron., Poson.) usque Saluum, tum cis et trans Tibiscum sparsum. (A Wolny missum sub n. 88.)

467. T. undulatus.

Nimis affinis *T. pratensi*, quocum iisdem in locis occurrit, eodem tempore florens; ita in pratis ad Káloz alibique per Cottum Albensem, Sümeghiensem, Syrmiensem, per Banatum, in Croatia.

468. T. pubescens mihi.

Definitione *T. orientalis*: corollis nempe calyce longio-

ribus, subundulatis foliis; sed calyce basi pedunculisque sub calyce pubescentibus, et color florum aureo-flavus. Folia ut in *T. pratensi*, basi dilatata amplexicaulia, et pedunculi aequales, nec incrassati. Habitat in Scepusio, unde a Genersich specimen mancum accepi.

469. *T. orientalis*.

Habitat in graminosis siccis ad Gödöllő, Arács, Füred, in Muraköz, ad Varasdinum, in Sirmio, Banátu.

470. *T. canus*. Pl. rar. Hung.

Inter frutices solo arenoso, ad Izsák, alibique in Cotto Pesthiensi, in populeto ad Izsák.

471. *T. major*.

Habitat in graminosis Budae, ibidemque ad vias inter vineas, in Cotto Albensi, Veszprimensi, Szaladiensi, inque Banátu et Sirmio.

472. *T. angustifolius?*

Sed caules pedales altioresve, et calyces corolla breviores. Ad Csaba versus Dorog. Corollae magis quam in *T. pratensi* et *T. majori* flavent.

473. *Scorzonera austriaca*.

Habitat in montibus apricis tractus mediterranei Strigonio usque Keszthely.

474. *S. humilis*.

Dignoscenda a praecedente foliis latioribus, planis, nervosis: nervis opacis, apice obtusiusculo, squamis calycinis apice non fuscis; lanugine calycum, caulium et petiolorum copiosore. In pratis subalpinis caule est unifloro, palmari; foliis ovatis, acuminatis, aut ovato-lanceolatis; in pratis humidis autem partis australis regni, velut per Comitatum Pesthiensem, Hevesiensem, Albensem, caulibus est pedibus altioribusque, saepe 2—3-floris, raro unifloris, foliis lato-lanceolatis, aut ovato-lanceolatis; praeterea ibi folia caulina

sunt breviora quam hic; nec tamen squamae dicenda ut in *S. austriaca*. — Quae Linnaeus in itinere oelandico de sua notavit, omnia exacte conveniunt, dentis corollulis, quae nostrati calyce sunt longiores, Linnaeanae calycem aequantes. Datur varietas angustifolia, quae omnibus notis cum *S. glastifolia* convenit; hujus discrimen primo determinandum venit.

475. *S. dentata* mihi.

Similis *S. hispanicae*: caule erecto, ramoso subsesquipedali; foliis lanceolatis, infimis saepe ovato-lanceolatis, longe acuminatis; calyx squamis exterioribus ovatis, acuminatis, potius cuspidatis, potius magnitudine quoque et colore florum. Sed diversa foliis angustioribus, inferioribus toto margine dense dentatis, dentibus obtusis, subcallosis. In horto e seminibus educata constans mansit, hoc non obstante forsitan pro varietate sumenda. Superiora folia margine scabra. In Hungaria a me lecta.

476. *S. hispanica*.

Folia margine diaphano-scabra, quandoque inferiora raris dentibus instructa, ut in pratis ad Dégh notavi. Habitat in graminosis montium Budensium, in pratis siccis Cottus Albensis, Veszprimiensis, Szaladiensis, Sümeghiensis. Apud nos foliis plerumque dentes desunt; ergo in definitione foliis subdentatis non distinguenda.

477. *S. parviflora*.

Caules verni simplicissimi, unifolii, uniflori, folia parum excedentes; aestivi ramosi, foliosi, folia multum superantes. Squamae calycum apice incurvae. Pappus sessilis. Habitat in pratis udis, subsalsis, et ad lacus salsos: Pesthini, Budae; in Cottu Albensi, Sümeghiensi, ad Balatonem, Soproniensi et Mosoniensi ad Peisonem.

478. *S. rosea*. Pl. rar. Hung. II. t. 121.

Habitat in alpidibus Bereghiensibus, Szathmáriensibus, Marmarosiensibus, Croaticis. Occurrit etiam caule palmari, unifloro.

479. *S. purpurea*.

In graminosis siccis Budae, Pesthini, in Cottu Albensi, Veszprimiensi, Sümeghiensi, Scepusiensi (ad arcem Scepusiensem, unde a Szontagh sub no. 3. cum?) Sprengel eandem misit sub nomine *S. roseae*.

480. *S. angustifolia*. Pl. rar. Hung. II. t. 122.

Ad Flumen alibique in pratis litoralis hungarici occurrit altior (sesquipedalis) et multo minus hirsuta, quam ad Koricam in Croatia. Hanc pro *S. graminifolia* a quibusdam haberi, monitus sum.

481. *S. laciniata*.

Magnopere variat: a) In salsis Hungariae et Banatus caule est digitali, basi tantum unum alterumve ramum edens, foliis angustis linearibus, aut omnibus aut plerisque integerrimis; b) ad Káloz in pratis et horto dominali legi caulibus erectis, elongato-ramosis, sesquipedalibus, foliis lanceolatis, plerisque integerrimis; c) communiter est caule spithamaeo, aut subpedali, declinato, aut ascendente ramoso; foliis inferioribus profunde pinnatifidis: laciniis linearibus qualis ad agrorum margines in clivis graminosis; d) denique locis fertilibus (velut in Cottu Sümeghiensi) crescit caulibus sesqui- aut bipedalibus, ramosis; foliis omnibus subpinnatis, laciniis angusto-linearibus, elongatis. Postremo videtur esse radice perenni; ergo fors diversa species, licet squamas calycis apice sphacelatas habeat, qua nota *S. laciniatam* ab aliis dignoscendam esse.

482. *Sonchus arvensis*.

a. Pedunculis calycibusque hispidis; β . pedunculis calyci-

busque glabris. In agris, vineis, ad sepes, alibique in locis siccis var. *α*. non infrequens est. A Wolny missus sub nomine *S. oleracei* et no. 3, 94^{ve}, ab eodem accepi specimina sub no. 90 foliis minus lobatis, et aliud sub no. 89 foliis integris obovato-cuneatis, quod pro tertia varietate *γ*. adduci potest. Mauksch var. *β*. semel misit cum quaestione: „*S. quae species?*“ altera vice pro varietate *S. arvensis* agnitam.

483. *S. uliginosus?* M. a B. Fl. taur. cauc. II. 238. descriptus sub nom. *S. exaltati* in diar. it. Ránkensis.

Sed cum radicem habeat repentem perennem, *S. uliginosus* autem annuus dicatur, et hic adserente laudato auctore medius sit inter *S. arvensis* et *oleraceum*, meus *S. arvensis* varietas erit, licet ad Herlein in silva loco subhumido, uti et in horto bot. loco umbroso ad orgyam et ultra exaltatus sit, et Schrader eundem pro *S. uliginoso* declaraverit. Wolny hunc, ut videtur pro *S. oleraceo* sub n. 92 misit; idem varietatem foliis lato-lanceolatis, integris, inferioribus versus basim angustioribus misit sub nom. *S. crassifolii?* no. 31.

484. *S. oleraceus*.

Foliorum forma magnopere variat: praeter figuras illorum obvias in Kis Velence vidi folia cochleata: sine nimirum amplo rotundato, margine lato aequali per rachim decurrente. A Wolny missus sub no. 93.

485. *S. asper*.

α. Foliis runcinatis aut alio modo laciniatis = *S. oleraceus γ*. Sp. Pl., *β*. foliis integris non laciniatis = *S. oleraceus δ*. Sp. Pl. seu *S. asper* non *S. laciniatus* Tournef. inst. 474. Wolny varietatem *β*. sub no. 95 misit foliis basi latioribus cordatis, quam ego legi, foliis est vers. basin angustatis.

486. *S. coeruleus* Smith Fl. brit. II. 815. *S. alpinus* Sp. Pl. III. 1519.

In alpibus inter Cottum Liptov. et Thuroc. locis humectis.

487. **S. alpinus** Smith ic. pl. ined. p. 21. t. 21. *S. lapponicus* Froelich in Usteri Annal. p. 26. et Sp. Pl. Willd. III. 1520. *S. alpinus* L. Sp. Pl. cur. Reich. III. 623.

Frequentior est praecedente: reperi enim in alpibus Scepusienses (unde etiam a Maukseh et Szontagh), in Bereghiensibus, Marmarosiensibus, Szatmáriensibus, transsilvanicis et croaticis locis alpinis et subalpinis humidis, potissimum ad rivulos.

488. **Prenanthes purpurea.**

α. *Pauciflora*, *P. purpurea* Jacq. aust. t. 317. *Sonchus laevior pannonicus* III. *purpureo flore* Clus. hist. III. 147. *Lactuca montana purpureo-coerulea minor*. Bauh. pin. 123. In silvis subalpinis Scepusii etc., in pinetis Sárosiensibus, in Cottu Castriferrei; — β. *multiflora*, *Lactuca montana purpureo-coerulea major*. Bauh. pin. 123. In apricis dumetis alpium supra regionem silvarum inter saxa a Maukseh, in silvarum umbrosis subhumidis a me lecta.

489. **P. viminea.**

In collibus et montibus apricis, potissimum mediterraneis ad Budam, Buda-Örs, Palotam, Arács, B. Füred.

490. **P. hieracifolia.**

In monte Gerardi Budae, ad vineas in Cottu Hontensi et Baranyensi.

491. **P. muralis.**

In silvis, rupibus umbrosis, muris. Flor. in fine Maji, in frigidioribus e. c. in Scepusiō, Liptovia, Marmatia, Cottu Sárosiensi abhuc Septembri.

492. **Lactuca sativa.**

In Cottu Arvensi sponte natam legi in ruderatis:

493. **L. stricta.** Pl. rar. Hung. I. t. 48.

In silvis et fruticetis Budae, Agriae, ad Parád, in Symio, ad Csákvár.

494. **L. Scariola L. virosa** Pollini.

Missa a Szontágh sub no. 6.

495. **L. sagittata.** Pl. rar. Hung. I. t. 1.

Habitat in silvis et fruticetis Hungariae, Slavoniae, Croatiae. (In umbrosis ad Gödöllő lecta, tota pallida erat.)

496. **Crepis rigida.** Pl. rar. Hung. I. t. 19.

In montibus Budensibus, Tokayino.

497. **C. foetida.**

In aggeribus per calidiorem Hungariam, Slavoniam, Croatiam.

498. **C. scepusiensis** mihi.

Radix ramosa, fusca. Caulis sesqui-, raro 3-pedalis, erectus, culmum tritici crassitie aequans aut parum superans, fistulosus, sulcato-angulatus, inferiore parte pilis adpersus, superne aut etiam glaber, laevis, ex omnibus foliorum axillis, etiam infimis, ima et parte radici proxima nonnumquam, ramos edens erectos, iterum, ut apex caulis, divisos in plures tenues erectos pedunculos. Folia radicalia runcinata, subhispida; caulina remota, indivisa, obtusiuscula, remotissime denticulata, supra subnuda, aut pilis raris adpersa, subtus pluribus, praesertim rachi obsita, oblonga, inferiora versus basin angustata, infimum non raro petiolatum, reliqua sessilia, superiora lanceolata, acutiuscula, integerrima; ramea linearia, dein subulato-linearia. Flores paniculati, duplo minores quam in *bienni*, erecti, in pedunculis v. pollicaribus, 2—3-pollicaribus, tenuibus, glabris, foliolo lineari-subulato instructis aut aphyllis. Calyx ante evolutionem subtomentosus demum calvescens, squamis linearibus, exterioribus duplo brevioribus. Corollae . . . Pappus pilosus sessilis.

499. **C. hieracioides.** Pl. rar. Hung. I. t. 70.

500. **C. hispida.** Pl. rar. Hung. I. t. 19.

Habitat in siccis graminosis et arvis Budae, sparsa etiam per Cott. Pesthiensem usque Kalocsam ubi ad silvam reperta, per Com. Bácsensem e. c. ad canalem prope Verbász, copiosa versus Neoplantam; per Cott. Syrmiensem e. c. ad Karlovic alibique, copiosissimum ad Vránik, per Banatum, Com. Békés, Bihar. et Honthensem, per Croatiam calidiorem.

501. **C. ramosissima** mihi.

Radix annua, ramosa. Caulis e basi ramosissimus, erectus, aut velut in plures divisus, patens, subsulcatus, inferne setis raris adpersus, superne glaber: ramis tenuibus, sulcato-angulatis glabris. Folia pinnatifida: laciniis apiceque lanceolatis, pilis brevibus rarisque adpersa ciliataque, rachi tamen hispidula; superiora basi tantum laciniato-subhastata, demum integerrima, lanceolato-lineararia, glabriuscula. Pedunculi longiusculi (2 — 3-pollicares), angulati, glabri, aphylli. Calycis squamae exteriores triplo breviores, glabrae, interiores carinatae, carina setoso-hispida. Flores magnitudine *hispidae*; cui simillima, sed diversa caule e basi ramosissimo; foliorum forma, pedunculis calycibusque exterioribus glabris. E Syrmio-misit Wolny. Eandem legi et delineari curavi ad Semlinum, ad Murány in Banatu.

502. **C. hastata** mihi.

Radix annua. Caulis per totam longitudinem setis raris adpersus. Folia lanceolata, rachique hispida. Pedunculi hispidi foliolis aliquot linearibus hispidis obsiti. Calycis squamae tum exteriores cum interiores *hispidae*. Habitat in pratis humidis ad Poroszló.

503. **C. tectorum, C. agrestis** mihi, **C. lanceolata** mihi.

In aridis, arenosis, arvis, tectis valde varians, nonnumquam foliis integerrimis, lineari-lanceolatis.

504. **C. agrestis.** Pl. rar. Hung. III. t. 220.

In agris et pratis C. Szaladiensis, atque in ipso vertice montis Badaeson, in Croatia.

505. **C. pulchra** nunc **Prenanthes hieracifolia.**

Crescit pone Magyar Üreg C. Baranyensis inter frutices et in C. Honthensi ad vineas non procul Ipoly amne.

506. **C. biennis**, **C. croatica** mihi.

In Banatu, Syrmio, Croatia, Scepusio.

507. **C. Dioscoridis.**

A. Schwarzmann ad Mayerdorf lecta et mecum communicata, a Lumutzer pro nova habita.

508. **Hieracium aureum.**

Radix tenera, nigricans, paucis fibris vestita, communiter in fine truncata (praemorsa secundum alios). Folia tenera, parva, glabra, lucide virentia, oblonga, plus minus dentata aut basi sinuata, apice rotundata cum mucrone, plerumque sesquipollicaris longitudinis, raro quadripollicaria (sec. Schultes similia illis Taraxaci sed minora et obtusiora, qualia Linn. describit). Scapus unus 2ve teres striatus inferne glaber, versus superiora pilis atris hispidus, fistulosus, ligula una alterave munitus, 3—10 lineas altus simplicissimus, rarissime ex ramo biflorus. Jacq. aust. 297; rectus, brevis, nigricans, communiter nudus (sine squamis, 4-pollicaris pedalisve, secundum Villars). Calyx basi quasi truncatus per subitam dilatationem pedunculi, totus niger, compositus squamis 12—13 longioribus, et 5—6 plus quam dimidio brevioribus, aliis applicatis (Villars); squamis ex lanceolato-oblongis, acutis, ex nigro-virentibus, pilis atris hispidis. Pappus sessilis, simplicissimus (Jacq.). Corollae aureae, subtus croceae (Schultes), rubro-fuscae, aurantiae aut ferrugineae. Semina levissime striata, rufa. Receptaculum nudum semper apparuit Villarsio. Habitat montes altissimos.

509. *H. trisquamatum* mihi.

Maxime affine est *H. aureo* adeo, ut, nisi color floris diversus me ad uberiores investigationem permovisset, pro eodem habuissem. Differt autem: 1) scapis nunquam non simplicissimis, sulcato-angulatis, glabris, sub flore plerumque pilis aliquot albis tenuissimis decumbentibus adpersis (nec ibidem hispidis a setis nigris); 2) foliis longe petiolatis: dentibus superiore margine ad basin denticulo auctis; 3) squamis scapi tribus (rarius 4), una ad basin scapi demissa; 4) calyce glabro aut subhispidato: squamis linearibus obtusis, exterioribus laxis, basi incrassata adscendentibus, saepius glabris; 5) corollulis utrinque flavis, nec unquam subtus aurantiis aut croceis; 6) radice multo tenuiore; 7) flore, saltem spectata icone Jacq. in Fl. aust. t. 297, multo minore. Specimen vero a Balbis submissum *H. aurei* ad nostrum *trisquamatum* proprius accedit notis plerisque. Conferatur etiam cum *H. rupestri*, cujus definitio et descriptio non multis ab hoc nostro abluat, Frölich etiam *H. aureo* simillimum esse agnoscit, et nuntiat, isthoc semina elongata subulata habere, in quo nostrum etiam vix discrepat: nam semina etiam versus apicem attenuato-subulata habet. In alpebus Velebich lectum.

510. *H. alpestre*.

A Mauksch in montibus calcareis töplicesibus lectum a notis, in Sp. Pl. Willd. indicatis, parum discrepat.

511. *H. alpinum*.

Occurrit foliis integerrimis, subdentatis, et dentatis, hirsutissimis, pilis longis et villosis, omnibus quibus (saltem radicalibus) cunei forma in petiolum angustatis, sed aliis magis ad spathulatam figuram, ad lanceolatam aliis accedentibus; scapis tripollicaribus subnudis villosis et spithamaeis

duobus tribusve foliis instructis, hirsutis aut hirsutissimis: pilis longis patentissimis. Habitat in omnibus alpibus Tatrae et Marmatae. E valle Völkensi attulit L. B. Splényi varietatem foliis radicalibus omnibus spathulato-cuneatis, obtusis cum brevissimo mucrone; scapo pilis brevibus longisque, basi crassiore nigricantibus obsito.

512. H. pumilum.

Omnes quidem notae respondent, vix tamen diversum est ab *H. alpino*, cum dentur varietates intermediae eodem in loco: Kriván et aliis Tatrae alpibus.

513. H. Pilosella.

Obvium ubique in apricis duris (etiam in Cottu Liptoviensi, Scepusiensi, Arvensi). In alpibus croaticis occurrit var. duplo triplove major, foliis subdenticulatis, caeterum non diversa; haec varietas in horto non mansit constans, videtur esse *H. Hoppeanum* Schult. Fl. aust.

514. H. discolor vel **bicolor**, seu **stoloniflorum** etiam **tricolor** mihi.

Radix perennis, primaria obliqua, nigro-fusca, vel ut praemorsa, copiosas demittens radículas, fuscescenti-albidas, superne filiformes, inferne fibris vestitas. Scapus erectus, spithamaeus, diaphane striatus, subtomentosus, canescens, hispidus pilis patentibus, aliis longis, albis, eglandulosis, interspersis aliis multo brevioribus, nigris, glanduliferis, versus florem densioribus; basi stoloniferus: stolonibus subflexuosis, hispidioribus, plura folia gerentibus, aliis sterilibus, aliis floriferis; supra basim prope hanc unum alterumve ramum, saepe ad aut supra medium etiam tertium, omnes erectos edens, illos folio majore lanceolato, hunc lineari stipatos. Folia sessilia, spathulata, utrinque hispida, pilis longis, patentibus, albis, subtus insuper tomentosa, remote denticulata,

mucrone brevissimo obtusiusculo terminata, radicalia obovato-spathulata, praeter mucronem obtusa, stolonum ramorumque lanceolato-spathulata. Flores in caule ramisque superioribus solitarii, in inferioribus bini, alter remotus, in stolonibus 2—4 in apicem congesti, laterales brevissime pedunculati. Pedunculi tomentosi setisque nigris glanduliferis, interspersis longioribus eglandulosis, hispidi, laterales ad ortum, terminales infra calycem stipati foliolo lineari aut subulato, pilis eglandulosis longis hispido. Calyx subrotundo-ovatus dense hispidus pilis nigris glanduliferis, aliis apice albescentibus eglandulosis, squamis linearibus, acutiusculis. Corollae magnitudine illarum *Pilosellae*: corollulis linearibus, apice truncato-incisis, 5-dentatis, versus tubulum extus tenuissime pubescentibus, amoene flavis, extimis longioribus, extus purpureis intus profunde aurantiis. Genitalia ut in congeneribus, profundius flava. Semina Pappus Simile est *H. Pilosellae*, sed majus, et caule ramoso, stolonibus floriferis, colore corollularum diversum. Habitat (ni fallor) in montanis Croatiae. Est *H. staticaeifolium*.

515. *H. dubium*.

Magnopere variat: magnitudine foliorum, longitudine stolonum et pedunculorum. In clivis et collibus e. c. ad Rákos non procul Pesthini; ad P. Sz. Márton, in C. Sümeghiensi ad Gálosfa. Scapo glabro, foliis acutis, basi ciliatis, caeterum glabris. In alpe Chocs, ad Borbolam in C. Soproniensi. Folia lanceolata nec ovato-oblonga. Folia remote dentata, aut omnino nuda aut variis pilis ciliata, saepe in eodem individuo. Flores majores quam in *H. Auricula*, non cymosi. Ad Varasdinum in graminosis.

516. *H. Auricula*.

Valde variat e. c.: Scapis bifoliatis, infra umbellam pedunculum axillarem exserentibus, umbellis multifloris, qualia

specimina legi in itinere Beregh. in pratis Sz. Istvánensibus; vel scapis 3 — 4ve foliis instructis foliisque glabriusculis, subdentatis, floribus cymosis umbellatisve, umbellis multifloris, qualia ad Varasdinum et Szalabér occurrere; vel foliis glabris integerrimis, calycibus hirsutis, umbellis densis; qualia ad Szalabér in graminosis inter vineas obvia fuere; ad Gálosfa vidi stolonibus rarissime instructum; floribus raro cymosis, plerumque subpaniculatis s. sparsis; fol. glabris (pilis longis rarissimis) subciliatis, subtus plerumque purpurascenti-violeis.

517. H. cymosum.

In graminosis siccis Budae, ad Szalabér, in Scepusio, ad Posonium, in Croatia, Slavonia, Banatu.

518. H. praemorsum.

In graminosis silvaticis Budae, in Scepusio.

519. H. aurantiacum.

In alpinis Thurociensibus, Liptoviensibus, Bereghiensibus, Marmarosiensibus, croaticis.

520. H. bifidum mihi.

Radix perennis, primaria calamum crassitie aequans, superansve, saepe obliqua, senescendo praemorsa, superne non raro in 2 — 3 cervices divisa, radículas filiformes, fuscas edens. Scapus aphyllus aut caulis monophyllus, vix culmum tritici crassitie aequans, saepe vix altior spithama, aliis subpedalis, faretus, substriatus, vix observabili detergibili tomento tectus, caeterum calvus, apice bifidus. Folia ovata, acuta, pilis rarioribus hirsutiuscula, remote repando-dentata: dentibus mucronatis, baseos majoribus, basi in petiolum decurrente. Petioli semiteretes, supra canaliculati, pilis longioribus patentibus albis hirsuti, subtus obscure atrorubentes. Flores bini pedunculati in singulis ramis, in quos caulis abit, raro unicus aut terni. Pedunculi teretes, tomentosi, cani, laterales

communiter longiores. Bractea linearis ad ortum pedunculi lateralis, et una alterave sub flore, mox calycis subpilosa. Calyx ovatus, subtomentosus: squamis lineari-subulatis, dorso linea pilosa instructis: pilis nigris, brevissimis, eglandulosis. Corolla et genitalia ut in *H. murorum*, nequidem pubescencia corollularum dempta. Differt ab *H. murorum* cujus caeteram structuram habet: 1) herba minore, 2) corolla majore in calyce minore, 3) florescentia priore, 4) caule farcto, tomentoso, 5) floribus paucis, vix ultra 4, longius pedunculatis, 6) inflorescentia bifida. Habitat in rupibus calcareis subalpinis Croatiae.

521. *H. cordifolium* mihi.

Radix perennis, primaria obliqua, vix semipollicaris longitudinis, in fine senescendo praemorsa, pennam cygni crassitie aequans, fusco-nigra, radículas filiformes fuscas, sesqui- aut bipollicares demittens. Folia radicalia (4—6) petiolata, cordato-ovata, obtusa cum mucrone brevi, acuminataque, alia integerrima, alia versus basin dentata, supra glabriuscula aut pilis adpersa, subtus sublanata ciliataque pilis longis, albis. Petioli foliis brevioribus albo-lanati. Scapi simplices, spithamæi aut paulo longiores, erecti, inferne pilis adpersi, sub flore nigrescentes pubescentes, infra florem plerumque ex axilla folii lanceolato-acuminati plerumque lanati pedunculum subbiflorum exserentes, caeterum aphylli. Calyx ovatus, nigrescens, pubescens. Corolla aureo-flava, major quam in *H. murorum*: corollulis seu ligulis apice truncato-inciso-quinquedentatis, versus tubulum et tubulo pubescentibus. Flores pauci 2—6, terminalis brevissime pedunculatus; laterales altiores in pedunculis unifloris foliolo lanceolato subulato stipatis. Genitalia ut in reliquis. Habitat in monte Szitnya. Fl. initio Julio. Vix specie diversum ab *H. murorum* nam nonnumquam caulis folium petiolatum.

522. H. chondrilloides.

Radix perennis, obliqua aut transversa, praemorsa, radículas filiformes longas nigricantes demittens. Caulis tripollicaris pedalisve, simplicissimus aut uniflorus, aut ramosus, 2—6-florus, glabriusculus aut villosus. Folia jam omnia integerrima, obverse lanceolata, obtusa (qualia in Velebich occurrunt); jam radicalia tantum indivisa (qualia plerumque sunt obvia); jam omnia pinnatifida (qualia in Choës vidi) nunc lanceolato-uncinata, nunc profundissime pinnatifida lacinia terminali lineari longiore. Pedunculi caule rarissime longiores, plerumque multo breviores, nigro-hispidi, ad exortum stipati folio lineari integerrimo piloso. Calyces nigro-hispidi. Specimina majora (pedem alta) sunt e monte inter Sz. Ivan et Hradek, alia legi in Choës, in valle ad cataractam Motieskensem, in alpibus Croatiae. E Scepusio misit Mauksch. In monte Strassow Rochel.

523. H. porrifolium.

Variat foliis integerrimis et remotissime denticulatis, caule unifloro, 3—4-floro. Folia basi etiam ciliata, ut in sequente cui simillimum. In Badany et Debelo Berdo. In monte Klakberg dicto, inter Cottam Liptoviensem et Thurociensem, legit Wahlenberg.

524. H. pubescens mihi.

Radix perennis, subobliqua, inferne senescendo praemorsa, radículas filiformes demittens. Caulis solitarius, erectus, spithama paulo altior, simplex, apice in pedunculos duos unifloros longiusculos divisus, tenuissimis rarisque pilis pubescens, teres, culmo tritici tenuior, subsulcato-striatus. Folia ovato-lanceolata, basi angustata, apice mucronata, remote denticulata, utrinque et marginibus tenuissimis brevibusque pilis subpubescentia, caulina 3—4 subsessilia, integerrima, successive angustiora, praeter ea divisionum unum et pedun-

culos singulos tria quatuorve obsident folia angustissime linearia. Pedunculi sub calyce nigrescentes, subincrassati, pilis densioribus canis pubescentes. Calyces nigrescentes, pubescentes, squamis linearibus, acutis. Corollae flavae: ligulis apice profunde 5-fidis. Flores comparative magni: majores quam in *H. alpino* et plerisque aliis. Habitat in monte Tlszta Cottus Thurociensis. Augusto — Septembri.

525. *H. rohacsense* mihi.

Radix perennis, primaria oblique transversa, digitum minimum crassitie aequans, pollice paulo longior. Caules solitarii, binive ex eadem radice, spithamaei aut paulo altiores, erecti, simplices, hirsuti, substriati. Folia ovato-lanceolata, mucronata, basi angustata, hirsuta, remote aut sinuato-dentata, dentibus grossis mucronatis, caulinum unicum sessile, profunde dentatum, minus radicalibus; praeterea adest folium divisionem caulis in pedunculos stipans, lineare, integerrimum. Flores magni, solitarii in pedunculis binis, in quos caulis dividitur. Pedunculi aequales (non incrassati), a tomento canescentes, interspersis pilis rarioribus, terminalis crassior; aphyllus, lateralis longior, foliolo lineari instructus. Calyx nigrescens, pilis nigro-fuscus, hirsutus. Corollulae flavae, inciso-5-dentatae. Pappi simplicis pili scabriusculi. In alpe Rohács Cottus Arvensis. Augusto.

526. *H. glaucum*.

E monte Rosály et Guttin.

527. *H. saxatile*.

Variat caule simplicissimo, unifloro, subramoso bi-trifloro, et ramoso multifloro; foliis basi ciliatis, pilosisve, et omnino nudis, qualia ad antra montium calcar. Cottus Arvensis, quae Katzenlöcher dicuntur legit et misit Mauksch. Legi etiam in montibus inter Hradek et Sz. Iván, in alpe Chocs, et in rupibus calc. ad catarractam Motieskensem.

528. H. glabrum mihi.

H. saxatili caeterum simile, sed caule foliisque glaberrimis, integerrimis, longioribus, caulinis pluribus (10 — 12). Pedunculus sub flore et calyx pubescens. In rupibus calc. ad catarractam Motieskensem.

529. H. prenanthoides.

In alpihus Scepusii a Mauksch.

530. H. lanceolatum.

In nemoribus Scepusii et in monte inter Hradek et Sz. Iván.

531. H. umbellatum.

In pascuis siccis graminosis, montanis silvis per omnem Hungariam.

532. H. corymbosum mihi.

Radix perennis. Caulis erectus, sesquipēdalis, pennam anserinam crassitie non adaequans, fartus medulla alba, substriatus, villosus, a tuberculis piliferis scaber, foliosus. Folia caulina multa (a 12 — 16), basi angustata et cordata amplexicaulia, lato-lanceolata, acuta, superiora acuminata, remote grosseque dentata, supra glabriuscula, subtus et marginibus villosa. Flores in corymbis caulem ramosque terminantibus: pedunculis 3 — 4-floris, hirtis et nigrescentibus a pilis basi nigris, e tuberculis nigris enatis: bracteisque pedunculorum stipantibus, aliis hos obsidentibus, singulis linearisubulatis, similiter, ut pedunculi, vestitis incrassatis. Calyces nigricantes et hirti, tuberculis piliferis pilisque nigris. Corollulae flavae, apice fuscescentes, inciso-5-dentatae. Caetera generis. Pili pedunculorum et calycis versus apicem fuscescunt. In alpihus Bereghiensibus. Augusto.

533. H. villosum.

Habitat in alpihus Scepusii et Croatiae et Liptoviae, unde ab Operschall.

534. *H. echioides*. Pl. rar. Hung. I. t. 85.

Variat caule spithamaeo et subpedali, simplici, nec nisi apice cymoso, aut ramum seu pedunculum 2 — 4-florum ex axilla exserente: pedunculis brevibus, floribus congestis et longioribus, etiam subpollicaribus, immo inflorescentia subpaniculata, quale Tihany occurrebat: foliis caulinis paucis multisve, hispiditate foliorum et caulis plerumque quidem densa, non tamen semper. Habitat in monte Gerardi, in clivis arenosis siccis Pesthini, in praedio Vaes ad Nagy Kőrös, Debrecinum, in Syrmio (unde a Wolny).

535. *H. uncinatum* mihi.

Radix perennis, senescendo praemorsa, latere radículas sordide fuscas, 2 — 4-pollicares, ramosas, demum fibrose divisas edens. Caulis solitarius, erectus, pedalis, aut paulo altior, inferne simplex, superne pro inflorescentia in ramos axillares patulos divisus, culmo tritici raro crassior, angulatus, setis longis, raris adpersus, sub foliis potissimum superioribus congestis. Folia lanceolata, cuspidata, versus basin angustata, amplexicaulia, glabra, sinuato-dentata; dentibus recurvato-uncinatis, superioribus angusto- et lineari-lanceolatis, basi latioribus, dentibus rectis instructa, supra setis adpersa, subtus, praesertim basi hispida. Flores medioeres, erecti, in panicula rara, ramis bifloris, pedunculis unifloris, angulatis, aphyllis, aut foliolo hispido basi nigricante instructis, hispidis a setis glanduliferis. Calyx oblongo-ovatus, hispidus: setis glanduliferis, brevioribus, longioribus, nigris: squamis obtusiusculis, nigro-carinatis, interioribus margine membranaceis, exterioribus quadruplo brevioribus adpressis. Corolla aureo-flava: ligulis striato-sulcatis, truncatis, inciso-5-dentibus obtusis: tubulo pallide flavo, striato, glabro. Filamenta flava, tubulo inserta, ex hoc prominentia: antherarum tubulus 5-sulcato-angulatus; angulis fuscis, basi antherarum

singularum in pilos binos divisa. Receptaculum nudum, fo-
veolatum, planum. Semina columnaria, subsulcato-angulata,
glabra, laevia. Pappus sessilis, pilosus, albus, semine bre-
vior. Herba amara lactescens. Habitat in convallibus mon-
tium pone Nagy Banyam e. c. Rosály. Fl. Julio.

536. *H. silvaticum.*

In silvis et alnetis subalpinis Scepusii et alpis Arvensis
Rohács. Quod in monte Szitnya pro *H. silvatico* habui,
erat potius *murorum* varietas foliis oblongis, acutis. Genui-
num videtur illud esse, quod Mauksch sub nom. *H. paludosi*
vel *mollis* miserat.

537. *H. paludosum.*

In umbrosis humidis Croatiae ad Priboj et ad lacus Plit-
vicenses.

538. *H. cerinthoides.*

In montibus inter Hradek et Sz. Iván.

539. *H. sibiricum.*

In silvis Leibitzensibus invenit Mauksch. In Zoliensi
Cottu.

540. *H. grandiflorum.*

In graminosis alpinis et subalpinis Scepusii, Cottus Lipto-
viensis, Zoliensis, Arvensis (Rohács), Marmarosiensis, Be-
reghiensis.

Campanulaceae.

541. *Jasione montana.*

Budae in monte Hundschlosz, in clivis et collibus areno-
sis per Cottum Pesth. In Beregh., C. Veszprim. ad Lókút,
Sopron. ad monasterium in Fraknó; ad Bagh, Debrecen, Cott.
Marmaros.

542. *Phyteuma pauciflorum.*

In jugo alpino infra caecumen Lomnitzense.

543. *P. inaequatum* mihi.

Ante *P. orbiculare* ponendum. Caulis prope pedalis, simplicissimus, striatus, glaber. Folia radicalia longe petiolata, lanceolata; basi cordata, lobo altero productiore pleraque inaequata, dentibus incurvis serrata; caulina integerrima, inferiora in petiolum angustata, lineari-lanceolata, superiora sessilia, linearia, omnia subciliata. Capitulum florum subrotundum. Involucri foliola e basi ovata in cuspidem lineari-lanceolatam producta, capitulo breviora, integerrima, ciliata. Habitat in Cottu Arvensi.

544. *P. foliosa* mihi.

Simillima *P. canescenti*, videtur tamen differre caulibus strictis, foliisque glabriusculis, acutis, acute serratis caulem dense teigentibus.

In montibus Matrae Gyöngyösino vicinis (auf dem Schorer Berg).

545. *P. salicifolia* mihi.

P. foliosae similis vel eadem fere, tantum foliis cauleque glabris distincta, in montibus calc. ad thermas Herculis lecta. Willdenow pro nova habet.

546. *Campanula microphylla* mihi.

Radix perennis, obliqua, vix culmum triticeum crassitie aequans, inferne in radículas fibrosas divisa. Scapi quandoque plures in eadem radice, erecti, 4-pollicares, simplicissimi, uniflori, angulati, foliis tribus parvis adpersi. Folia radicalia aliquot (4 in uno specimine congesta), una cum petiolo vix $\frac{1}{3}$ pollicis aequantia, breviter petiolata, oblongo-elliptica, in brevem petiolum cuneiformi-angustata, apice obtusa, crenata, petiolis subciliatis. Caulina multo minora, sessilia, acuta, inferiora elliptica, subcrenata, superiora linearia, integerrima. Flos erectus, ratione plantae magnus.

Calyx glaber, basi corneus, laciniis erectis, lanceolato-linealibus, acutis, subdenticulatis corolla triplo-brevioribus. Corolla campanulata, laciniis obtusis, coeruleis. Stigma trifidum. Ab Opereschall e Cottu Liptoviensi missa.

547. C. linifolia.

Caulibus 1 - multifloris variat, notante etiam Wolny. In Guttin, alpinis Marmarosiensibus, Liptoviensibus (Choes), Scepusiensibus. Augusto. Mauksch pro *C. rotundifolia* misit.

γ. Caulis erectus, pedalis, teres a decurrentibus foliorum marginibus angulatus, glaber, foliis dense tectus. Folia erecta, lanceolata, subserrata, dentibus scilicet raris instructa, glabra, subtus pallidiora, laevia, supra tamen setulis brevissimis scabra, sessilia. Flores in panicula seu racemo composito secundo, similes illis in *C. rotundifolia alpina*, nutantes. Corollae magnae profunde coeruleae. Calyx glaber; dentibus setaceis corolla duplo brevioribus. Hanc in monte Thurociensi Tlszta lectam pro varietate *C. linifoliae* sub dubio declarat Willdenow, alia similia specimina legi in Krivan, Choes et alpinis Zoliensibus, et misit Opereschall e Cottu Liptoviensi.

Haec probabilius est *C. Scheuchzeri* Villars, quam cum *C. linifolia* confundi notat Schultes.

548. C. pusilla. Jacq. coll. II. p. 79.

Inter plantas alpinum Velebich.

549. C. flexuosa.

In alpe Velebich.

550. C. carpatica.

In silvis montanis Scepusii; ad Hradek, ad catarractas Motieskensis.

551. C. patula.

In graminosis et fruticetis Budae, Pesthini, in Cottu Albensi, Veszprem., Syrmieni, ad Essekinum et in Banatu

ad Csiklovam, ad Peeze Sz. Márton, in subalpinis montis Rózsály, ad Erdőbénye. In Transsilvania.

552. C. Rapunculus.

In pratis Pesthini, ad Zagrabiam, Brezovicam, in arenosis ad Debrecinum, in Syrmio.

β. Ad Káloz, Versec, Temesvarinum in pratis.

553. C. dasycarpa mihi.

In silvis subalpinis Scepusii (unde a Mauksch), quercetis ultra Ránk et Kemence, in silvis Sümeghiensibus (unde ab ill. DD. Splényi et Festetich).

An per gradus intermedios in *C. persicifoliam* transeat, necdum mihi constat: in uno specimine Scepusiensi calyx paucissimas setas exhibet; alia specimina possideo omnino glabra et alternatim bi-triflora, quae cum *C. dasycarpa* caeterum conveniunt.

Secundum Wahlenbergii Floram Carp. princ. p. 60. est tantum varietas *C. persicifoliae*.

554. C. pyramidalis.

Non procul Gospich et versus Medák atque in litorali.

555. C. lilifolia.

In silvis Cottus Albaujvár., ad Felkabanyam, inter Hradek et Sz. Iván. E praedio Davod (Ant. Festetich). E Scepusio missa pro *C. rhomboidea* a Mauksch.

556. C. latifolia.

In pinetis Borsa.

557. C. urticaefolia.

Ibidem lecta a *C. Trachelio* haud multum differt. Misit etiam Rochel, qui eam in dumetis ad Rovnye crescere scribit. Mauksch misit specimen foliis inferioribus cordatis.

558. C. ruthenica.

Pro *C. bononiensi* a me prius habita. Budae, in Matra,

in Scepusio, in Cottu Beregh., in it. Slav. lectum, in monte Cobor, ad Világos monte Aradiensis.

559. **C. bononiensis.**

Ad Füred in montibus.

560. **C. tenuifolia.**

In Vilena Draga.

561. **C. elliptica** mihi, **C. glomerata** β . L.

Trachelium oblongo folio alpinum Bocc. Mus. 70. t. 58. Videtur mihi et cl. Mauksch species diversa. In alpinis et subalpinis Marmaros, potissimum Trojaga, in editis alpium Scepusiensium et Liptoviensium; in alpe Croatiae Badány.

562. **C. thyrsoidea.**

In alpinis et subalpinis montium Velebich, in Jadrina Polyana.

563. **C. macrostachya.**

In monte arcis Versecensis.

564. **C. alpina.**

In alpinis Marmarosiensibus Pop Iván et Petrosa, inque Scepusiensibus et Liptoviensibus.

565. **C. sibirica.**

In siccis Budae, Pesthini.

566. **C. macrostachya** mihi.

Willdenow pro *C. spicata* declaravit in litt. cui eam sub A. g. miseram. Serius eam pro distincta specie sub illo nomine proposuit (in Enum. pl. hort. berol.). Eodem autem tempore nos hanc inter plantas rarior. Hung. sub nom. *C. multiflorae* vulgavimus.

567. **C. spathulata.**

A me prius *C. cernua* nominata, a Sprengel *pannonica* dicta est; Willdenow autem eandem in Enum. pl. hort. berol. *divergentem* nominavit.

Lonicereae.**568. *Lonicera Caprifolium.***

In fruticetis et sepibus vivis in Muraköz, in Cottu Varasdinensi, Zagrabiensi non procul Zagrabia, in silva Maximir, in Veröcensi non procul Essekinio et in Tolnensi.

569. *L. nigra.*

In silvis acerosis Croatiae versus Merkopak, Cottus Arvensis (sub Babia Gura), Scepusiensis, Sárosiensis et Mararosiensis.

570. *L. Xylosteum.*

In silvis et sepibus etiam in Scepusio.

571. *L. pyrenaica?*

A Genersich sub nom. *L. alpigenae* missa. Folia glabra oblongo-ovata, obtuse subacuminata, basi angustata. Baccæ distinctae.

572. *L. alpigena.*

In silvis Croatiae montanae copiosa.

573. *L. carpatica* mihi, *L. coerulea* mihi est *L. nigra* Jacquinii aust. t. 314. et Halleri n. 676. Jacquin stamina corolla breviora, Hallerus longiora dicit; ego anno 1810 longiora, 1816 breviora et subaequalia vidi.

Habitat in pinetis Cottus Arvensis et in alpe Plissivica Croatiae.

574. *Viburnum Lantana.*

In sepibus et fruticetis, inque rupestribus calcareis. Ad catarractas Motieskenses notavi, folia supra stellulatis fasciculis pilorum adpersa esse, subtus venis et petiolis punctato-tomentosis, foliorum serraturis mucronatis.

575. *V. Opulus.*

In insulis danubialibus, vallibus silvaticis copiosum, etiam in Scepusio.

576. Sambucus racemosa.

In montibus Matrae, Carpathi.

Oleaceae.**577. Phillyrea latifolia.**

In rupestribus calcareis littoralis hungarici.

578. Syringa vulgaris.

In rupibus calcareis Banatus usque ad thermas Herculis: alias in sepibus vinearum.

Gentianeae.**579. Erythraea Centaurium.**

E. silvatica mihi = var. β . *Centaurii* Schmidt.

580. E. albiflora mihi.

Willdenow pro *E. inaperta* habet. In pascuis Kecske-méthiensibus.

581. Menyanthes nymphoides.

In paludosis et aquosis lente fluentibus ad Tibiscum, Jákolha, in Temesio etc.

582. M. trifoliata.

In uliginosis Cott. Scepus., Abaújv. et Liptoviensi.

Labiatae.**583. Thymus recurvatus** mihi.

Caules suffruticosi, decumbentes, radicanes, rami seu cauliculi horni, erecti, $1\frac{1}{2}$ — 2-pollicares, rubescentes, pubescentes. Folia subsessilia, obovata, obtusa, integerrima, rigidula, subtus 7-nervia, superiora successive majora, maxima capitulo contigua, impunctata, versus basin tenuissime ciliata. Flores in capitulo terminali, subrotundo, compacto, duobus tantum foliis minoribus interstincti, quini in singulis fasciculis, brevissime pedunculati: pedunculis unifloris, basi 5

in fasciculum cohaerentibus, bractea brevissima minutissima stipatis, pubescentibus. Calyces subsulcato-striati, hirsuti, labiis obscure purpurascens; superiore latiore, tridentato, subincurvo, dentibus lanceolatis; inferiore bidentato, subincurvo, superiorem apice non attingens quidem est dentibus longioribus subulatis. Corolla calyci aequalis, aut vix excedens, purpurea: labii superiore paulo brevior, planiusculo, emarginato; inferiore trilobo, plano: lobis lateralibus patentissimis. Stamina non vidi. Stylus corolla longior, apice purpureus bifidus in stigmata acuta.

584. **T. montanus.** *Serpyllum pannonicum primum nec tertium* Clus. sec. M. a B. Fl. taur.-cauc. II. 60.

585. **T. lanuginosus.**

In Hegyallja e. c. ad Erdő Bénye, Tállya, Sátor-Allja-Ujhely.

586. **T. vel Acinos aestivalis** mihi.

Radix annua, fibrosa-ramosa, albida. Caulis erectus, basi ramosus, tetragonus: ramis erectis. Folia acuta, inferiora basi integerrima, a medio serrata; superiora obovato-cuneiformia, utrinque unidentata, omnia supra sulcata, subtus nervosa. Flores in verticillis remotis, 10—14-floris, brevissime pedunculati, minores quam in *Acino vulgari*. Corollae labium superius brevius, emarginatum; inferius versus faucem albo-maculatum, interjecto puncto profundius purpureo: lacinia media emarginata, lateralibus rotundatis. Tota planta canescit pilis densis brevibus, in caule subreversis. Odor aromaticus debilis. In monte Gerardi crescens.

587. **Scutellaria pallida** M. a B. Fl. taur.-cauc. II. 65. n. 1177.

Videtur esse diversa a *S. incana* illa, in silvis budensibus occurrente. Radix perennis. Caules aliquot ex eadem

radice, erecti aut ascendentes, sesqui- aut subbipedales, obtuse quadranguli, cano-pubescentes, simplicissimi; adsunt tamen ramorum rudimenta in axillis foliorum, ut adeo verosimile sit, in solo fertiliori caulem ramosum fore. Folia supra glabriuscula, subtus cano-pubescentia, nervoso-venosa, inferiora cordato-ovata, obtusa, grosse crenata; superiora oblongo-ovata, acutiuscula, grosse obtuseque serrata. Flores in racemo terminali, elongato, erecto secundi, erecti, breviter pedunculati, oppositi, solitarii ex axillis bractearum. Pedunculus communis pedicellique villosi, incani. Bractee petiolatae, acuminatae, calycem excedentes, obscure purpurascetes, villosae, incanae. Calyx congenerum, villosus, incanus, basi obscure purpurascens. Corollae fere pollicem longitudine aequantes, interstitiis longiores, pubescentes; tubo albo, dorso pallidissime violaceo, versus faucem pallide coeruleo; labio superiore paulo longiore, incurvo-emarginato, pallide violaceo: lobis lateralibus labioque inferiore pallide coeruleis. Fl. Majo in umbrosis montis tiliarum Budae. Differt a *S. peregrina*: canescentia et villositate partium, foliis superioribus oblongo-ovatis, corollis longioribus, bracteis lanceolatis. A *S. pallida* M. a B. differt: foliis superioribus oblongo-ovatis, spicis villosis (nec piloso-hispidis), bracteis lanceolatis (nec ovatis), caulibus simplicibus (nec ramosis), bracteis corollae tubo triplo brevioribus (nec eundem aequantibus), corolla multo majore quam in *S. galericulata*, tubi dorso labioque superiore violaceo (nec corolla alba, immaculata), bracteis coloratis. *S. altissima* differt a *S. incana* nostra: foliis cordatis, glabriusculis; bracteis ovatis calycem subaequantibus; caule leviter pubescente; foliis laete viridibus; spicis pubescentibus; corolla coerulea; labio albo. A *S. Columnae* nostra differt: bracteis lanceolatis, calyce longioribus (nec ovatis, calyce brevioribus).

588. *Glechoma hederaceum*.589. *G. lobulatum* mihi.

Foliis grosse inciso-crenatis seu lobulatis caulibusque glabris; stylis corollae labium superius aequantibus; lobis lacinae mediae labii corollae inferioris integris; statura partibusque paulo minoribus (etiam in horto); florescentia paulo seriore diversum a *G. hederaceo*, cui statura floribusque simile. Folia etiam huic brevissimis pilis ciliata, ceterum glabra, subtus punctata, margine undulata. Petioli glabriusculi, margine prominulo ciliato connexi. Flores brevius pedunculati. Odor idem qui *G. hederaceo* sed debilior. In aggeribus et clivis apricis.

590. *Betonica nutans*.

Radix perennis. Caules ex eadem radice plures ascendentes, pedales, sesquipedales, simplicissimi, obtuse quadranguli, lateribus canaliculati, canali profundius virente, pilis reversis hispidi scabrique. Folia petiolata, oblonga, basi, non raro inaequali, cordata, grosse obtuseque crenata, apice obtusa, utrinque pilis, supra rarioribus, subhispida indeque scabra, subtus venosa pallidiora. Floralia basi ovata, breviter petiolata, superiora successive minora, integerrima, lanceolata, acuta, demum more bractearum, seta subpungente mucronata. Petioli inferiores 1 - $\frac{1}{2}$ -pollicares, hispidi, teretiusculi, supra canaliculati; floralium dilatati, pilis longis ciliati. Flores sessiles in spica elongata, nutante, cum fructu erecta? interrupta, verticillis pluribus distantibus, inferioribus remotissimis, multi- (20 — 30-) floris. Bractee verticillos arcte stipantes, plures, calycibus breviores, lanceolatae, integerrimae, oblique tortae, seta subpungente mucronatae, supra glabrae, subtus hispidulae, pilis longioribus ciliatae. Calyces basi tenuiores seu versus faucem successive dilatati subgloboso-curvuli, glabri, fauce hispidi, extus

superiore parte obscure purpurascens: dentibus subulatis, seta subpungente terminatis, subaequalibus. Corolla calyce plus quam duplo longior, purpurea, subpubescens: tubo basi albo, curvato; labio superiore brevior, integro. Filamenta tubum corollae aequantia, eidem maxima parte adnata, pubescentia, purpurascens. Antherae bilobae, dorso filamento adnatae, fuscae; pollen albidum. Germina ovata, nitida, albida. Stylus subcompressus, glaber, parcissime purpurascens, basi curvatus, apice bifidus in stigmata 2 brevia, obtusiuscula. Semina Ex excursione bot. nescio an in agrum budensem, an in pesthiensem relata. Flor. medio Julio; ergo multo prius quam *B. officinalis*. Folia floralia sub florescentia reflectuntur.

Asperifoliae.

591. *Heliotropium europaeum*.

In arvis e. c. Comitatus Hevesiensis, ubi ea saepe a copia hujus stirpis canescunt; in vineis. In Cottu Trensin. Genersich.

592. *Cerinthe minor*.

Passim occurrit usque in Scepusium.

593. *Onosma echioides*.

Habitat in montibus Budensibus etc. Flor. Majo et Junio.

594. *O. arenaria*.

Schrader scribit: scheint von *O. echioides* verschieden.

Hab. in clivis arenosis. Fl. paulo serius quam *O. echioides*, a qua differt: 1) radice perenni; 2) caulibus pluribus; 3) ramis brevioribus, patentissimis, recurvis; 4) foliis latioribus, radicalibus caulisque obtusis; 5) bracteis ovato-lanceolatis; 6) floribus obliquis; 7) calycibus brevioribus, foliolis lanceolatis; 8) corollis flavis, calyce duplo longioribus; 9) stylis calyce duplo longioribus; 10) seminibus.

595. *O. tuberculata* mihi.

Nova putatur, etiam a Willd.

In monte ad Tállya quem tállyai várhegy nominant, rubris et detritis lapidibus basalticis innascitur, etiam in aliis montibus ad Hegyallya pertinentibus occurrens.

Semina forma *O. echioidis*: nimirum partem figurae ovaetae, versus apicem obtusam angustae exhibentia, fusco-cinerascentia, laevigata, nitida, seu potius lucida.

596. *O. stellulata*.

In Vilena draga non procul Korenica.

597. *Echium rubrum*.

In pratis Sopronii, Týrnaviae, in collibus apricis Budae, ad Harsány, versus Miskolc, Pesthini.

598. *E. tuberculatum* mihi.

E litorali hungarico.

599. *Pulmonaria angustifolia*.

In Scepusio.

600. *P. officinalis*.

Ibidem.

601. *Lithospermum officinale*.

In silvis caednis, fruticetis, aggeribus, prope Balatonem ad Fok, in Scepusio ubi Junio floret.

602. *L. arvense*.

Iter segetes, inque arvis et vineis.

603. *Achusa officinalis*.

Colore corollae valde variat: violaceo, pallidissime coeruleo, purpureo, carneo; albo.

604. *A. pubescens* mihi.

Foliis pubescentibus, nec strigosis diversa. Ex Hungaria.

605. *A. italica*.

In graminosis siccis.

606. A. angustifolia.

Ad Sz. Iván in itinere Bereghiense lecta, e Syrmio missa.
In valle Sztracsilovo non admodum frequens.

607. A. ochroleuca.

Infra Deliblad.

608. A. tinctoria.

In clivis arenosis.

609. A. subrepanda mihi.

Radix Caulis 2 — 3-pedalis, erectus, ramosus, hispidus, tuberculis minutis seu punctis eminentibus proliferis scaber. Folia lanceolata, acutiuscula, subrepanda, subdentata, sessilia, hispida, tuberculis minutis proliferis scabra. Flores in racemis imbricatis, secundis, densis, conjugatis, sub et post florescentiam erecti, pedunculati; pedunculis calyce brevioribus, hispidis. Bractee ovatae, obtusiusculae, pedunculo longiores, calyce breviores. Calyx hispidus, 5-partitus: laciniis sublinearibus obtusis. Corolla violacea: tubo calycem notabiliter ($6\frac{1}{3}$) excedente; limbo plano, 5-fido, laciniis rotundatis; fornicibus faucis subpubescentibus, caeterum corolla glabra.

Hab. in Cottu Sümegh. ab Ill. C. Ant. Festetich allata.

610. Myosotis scorpioides.

In aquosis ubique, setulis brevibus, remotis foliorum distinguenda. — Foliis acutiusculis. In silva Varasdinensi.

611. M. alpestris sub nomine *M. montanae* descripta, quam (*alpestem*) a *M. scorpioide* vix differre notat Horne-
mann in Suppl. III. Catalogi.

In alpinis Zoliensibus, Scepusii, Liptoviae tota aestate.

612. M. silvatica.

E Scepusio a Genersich.

613. M. arvensis.

In vineis, agris, hortis; major e Banatu.

614. M. nana.

Ex alpidibus Zoliensibus.

615. M. obtusa.

In monte calc. ad monasterium Syrmiese Beocsin, in aggeribus inter Aradinum et Temesvár, ad Albam Ecclesiam in margine silvae Hodos Cottus Veszprimens.

Est *Anchusa Barrelieri* Gmelin = *Buglossum Barrelieri* All.

616. M. suaveolens.

In monte Merszin et alpe Plissivica Croatiae.

617. M. reflexa Wahlenberg.

Ad Luesky.

618. M. Lappula.

In aggeribus, ruderatis, arvis.

619. M. montana mihi.

Radix perennis, ramosa, nigro-fusca, apice in plures cervices abiens, fasciculos foliorum, altero vero anno ex his caules plures proferens. Caules digitales, palmares, aut paulo longiores, erecti, simplices, aut unum alterumve ramum proferentes, culmum tritici crassitie raro aequantes, obtuse angulati, scabri, pilis brevibus reflexis hispidi. Folia lanceolata, acutiuscula, integerrima, punctis eminentibus scabriuscula, pilis antrorsum versis hispida, patentibusque ciliata, inferiora et radicalia in petiolum decurrentia, hinc lanceolato-spathulata, superiora semiamplexicaulia, marginibus subrevoluta. Flores in racemis ante anthesin revolutis, terminalibus caulis conjugatis, ramorum solitariis, alternis secundi ebracteati. Pedunculi teretes, pilis adpressis canescentes. Calyces corollis adpilati, scabri, ante anthesin cani, pilis patulis obsiti, profunde 5-fidi: laciniis lanceolato-linearibus, acutis. Corolla calyce longior, hypocrateriformis; tubo pallide viridescenti-flavo; limbi laciniis subrotundis, integerrimis coer-

leis, margine violaceis; fornicibus faucis flavis, demum rubellis. Antherae infra fornices in fauce sessiles, oblongae, flavae. Germina 4 rotunda; stylus setaceus; stigma obtusum. Semina ovata, obtusa, marginata, laevia, nitida.

Misit Mauksch e Scepusio. In horto floret Majo.

An a *M. alpestri* sit diversa, nondum mihi liquet: caulis nostrae non est hirtus (si terminum recte intelligo); folia ad lentem praeter nervum medium eminentiorem exhibent duos alios obsoletos, juxta marginem excurrentes per totam folii longitudinem, nec basi tantum trinervia. Quam Sieber misit sub nomine *M. alpestris* huic meae, demta magnitudine, est simillima. Besser nannte wahrscheinlich diese Pflanze auch *M. montana*, Schultes aber (in Oest. Flor.) mit Ehrhart *M. silvatica*.

620. *Symphytum officinale*.

In pratis humidis et paludosis. Intra Matram in pratis occurrit corollis albis.

621. *S. tuberosum*.

In silvis, etiam Scepusio et Syrmio.

622. *S. cordatum*. Willd. Beiträge II. 121.

In Scepusio et sub rupe Muntschel pone Rézbánya.

Convolvulaceae.

623. *Convolvulus Cantabrica*.

In montibus apricis Budae etc., Banatus, inque rupibus Cottus Barsiensis ad Granum.

Solanaceae.

624. *Hyoscyamus Scopolia*.

Habitat in silvis Cottus Borsodiensis in monte Bükkhegy, in banaticis versus limites Valachiae, et in Marmaros.

625. *Solanum nigrum*.

In ruderatis et cultis.

626. *S. patulum*.

Schultes in Oesterr. Fl. hoc *S. Dillenii* nominat. In umbrosis Matrae.

627. *S. olivaceum* mihi. *S. humile* Bernh. Willd. Cat.**628. *S. hirsutum* vel *acutifolium* mihi.**

Caulis ramique teretes, cum angulo uno alterove eminente edentulo. Folia ovata, basi in petiolum protracta, sinuato-angulata, angulis obtusis, apice acuta, pubescentia, subtus costa venis hirsuta. Rami, petioli, pedunculi, caulesque hirsuti. Baccae glabrae, nigrae. Ex itinere Arvensi.

629. *S. flavum* vel *canescens*.

Radix annua ramosa. Caulis ramosissimus, ramis patentibus, angulatis: angulis edentulis. Folia ovata in petiolum parum protracta, sinuato-angulata: angulis obtusis, apice obtusiuscula, solitaria. Pedunculi a folio parum remoti, quandoque oppositifolii, 3 — 5-flori, rarissime 6-flori. Corolla alba, fundo flava, extus hirsuta, laciniis acutiusculis, linea violacea notatis. Baccae glabrae, flavae. Reliqua praecedentium. Habitat in Cottu Thurociensi et Borsodiensi.

630. *S. incanum* mihi.

Schultes nennt es *S. Kitaibelii*. Fl. Austr. In ruderatis et cultis.

631. *S. rubrum*.

Differt a *S. humili* et *flavo* potissimum caule, ramis, petiolis, foliorum rachi, pedunculisque muricatis; praeterea foliis minoribus, utrinque canescentibus a pilis brevissimis densis; baccis rubris; odore Moschi gravi. Calyces etiam muricati. Hoc videtur esse *S. villosum*.

Scrophularineae.

632. *Verbascum Thapsus*.

In planiore Hungaria nuspiam vidi, nec in montosa frequens; in monte Bükkhegy ad Diosgyör, in Scepusio, ubi etiam rarius in ruderatis occurrit.

633. *V. phlomoides*.

Consentit Willdenow in litt. cui sub it. II. missum. Idem asserit, nostrum hoc hungaricum cum Linnaei descriptione convenire, sed a planta Allionii discrepare. An *V. rugulosum*?

634. *V. acuminatum* mihi.

Est *V. speciosum* hort. Goett. t. 16. Schraderi, ut hic in litt. significat. *V. tortum* mihi etiam idem *V. specioso*.

635. *V. slavonicum* mihi.

Proximum *V. Thapsi*, sed folia semidecurrentia. A *V. elongato* diversum corollis flavis etc., a *V. thapsoide* foliis densissime tomentosis. Caeterum caulis erectus, simplex aut superne ramosus, subangulatus, dense tomentosus. Folia lato-lanceolata, acuta, crenata, utrinque densissime tomentoso-lanata, inferiora basi angustata, caulina sessilia, superiora semidecurrentia. Flores 3 — 4 in glomera congesti, glomera in spicam disposita, inferne remota, superne dense congesta, suffulta bractea basi ovata, in cuspidem, glomera aequantem protracta. Calycis lacinae lanceolatae, acutissimae. Corolla *V. Thapsi*, sed minor, extus tomentosa. Filamenta tria parte superiore dense barbata, pilis flavescentibus inferiore parte, binaque alia tota glabra. Caulis, folia, bractee, calyces densissime lanato-tomentosa, pilis ramosis. Legi in Slavonia.

636. *V. floccosum*.

In Muraköz, ad Varasdinum et Korenica.

637. *V. lanceolatum* mihi. *V.* Schrad.

Caulis 4—5-pedalis, erectus, angulatus, summitate pro inflorescentia ramosus, dense tomentosus. Folia integerrima utrinque tomentosa, inferiora 2—3 pollices lata, pedem prope longa, breviora longioraque, versus basim in petiolum cuneiformiter angustata, obtusa: superiora sessilia, successive breviora, semiamplexicaulia, basi cordata, lobis adnatis, inaequalibus, apice acutiusecula, summa lato-cordata, acuminata. Flores pedunculati, inferiores solitarii, superiores bini—quaterni congesti, in racemos longos dispositi. Bractee lanceolatae, acuminatae. Filamenta omnia barbata. Folia versus paniculam valde decrescentia, nec prope hanc vix semipollice longiora sunt. Superiora primum ovata, tum cordata, acuminata, contortuplicata; caulis fasciculatim tomentosus.

Habitat in Syrmio; ad *V. Lychnitem* accedit. Wolny *V. Crystallostemma* nominavit.

638. *V. Lychnitis*.

In pratis siccis, aggeribus, silvis caeduis Hungariae et Slavoniae.

539. *V. album* Mönchii, etiam Schultes a priore distinguit.

640. *V. orientale* M. a B.

Legi ad Hatzfeld. *V. nigro* affine.

641. *V. rubiginosum*.

In monte Nagyszál ad Vacium, in clivis arenosis infra Akasztó.

642. *V. nigrum*.

In Scepusio, Syrmio, Banatu, Budae in silvis, fruticetis, agrorum marginibus.

β. lanatum.

In silvis montanis Banatus et subalpinis montis Rozsály.

643. V. phoeniceum.

A Tibisco usque ad Leitham fere ubique, locis siccis.

644. V. Blattaria.

In aggeribus.

β. Forte distincta species bracteis ovatis, cuspidatis, flore longioribus diversa. In aggere ad Stadtwald Pesthini.

645. Linaria Elatine.

In agris ad Arács, B. Füred, Budac, Cottus Zemplinensis.

646. L. spuria.

Supra Szegedinum, ad Arács et Füred alibique in agris.

647. Digitalis fuscescens mihi.

Radix perennis, ramosissima, fusca, superne in plures cervices abiens. Caules e seniore radice plures, erecti, subbipedales, simplices, obtuse angulati, glabri, sub racemo et inter flores villosi, pilis brevibus longioribusque, pallide virentes, farcti medulla alba, toti foliis tecti. Folia alterna, patentia, semiamplexicaulia subdecurrentia, lato-lanceolata, acuta, denticulato-serrata, dentibus apiceque nigricantibus, utrinque glabra, infra medium pilis tenuissimis albis ciliata, superiora tota ciliata, subtus nervosa, supra sulcis exarata. Flores in racemo terminali, simplici, erecto alterni, nutantes, mediocris magnitudinis. Pedunculi calyce breviores, erectiusculi, teretes, villosi, incani. Folia floralia lanceolata, patentia, acuta, integerrima, utrinque villosa, pilis longioribus ciliata, incana, inferiora floribus longiora, superiora breviora. Calyces villosi canescentes 5 - partiti: laciniis basi connatis, lanceolato-linearibus, acutis, inferioribus latioribus, pauloque longioribus, suprema angustissima, brevissima, subulata. Corolla medio-cris (*D. lanatae*), flava superne ferrugineo-fusca, utrinque villosa, intus insuper pilis longioribus erectis labio inferiore et fauce adpersa; tubo pallido, supra striis binis fuscis notato,

dilatato, versus faucem subtus constricto; fauce inflato-dilatata: labio superiore brevissimo, emarginato, bidentato; lobis lateralibus longioribus acutis; labio infimo multo longiore ovato, acuto, demum subrecurvo. Stamina (ut in congeneribus) filamentis inferiore parte corollae adnatis, hinc flexura incurvatis, planiusculis, pallidis, inferne subcroceis, binis longioribus labium superius prope aequantibus. Antheris ochroleucis, superne emarginatis, inferne bilobis, lobis obtusis. Germen ovatum, acutum, villosum, receptaculo glabro nitido insidens. Stylus filiformis, albus, glaber; stigma acutum. Capsula ovata, mucronata, sulcis 4, duobus ad suturas profundioribus exarata, pilis brevissimis dense obsita, bilocularis, bivalvis; valvularum marginibus in dissepimentum incurvatis. Semina oblonga incurva, fusca. Flor. initio Junii. Habitat in montosa parte Croatiae inter frutices.

648. Veronica foliosa. Pl. rar. Hung. II. t. 102. *V. brevifolia.*

Crescit in montibus Matrae, ad Budaörs in Wolfsgraben Budaë. *V. incana* nil nisi var. Crescit solo arenoso locis silvaticis C. Szathmáriensis (in silva Nyir) et Szabolesensis.

649. Veronica maritima = V. longifolia secundum Schultes cui specimen miseram.

650. V. orchidea. V. crassifolia.

In silvis Matrae; Cott. Zemplén; Banatus.

651. V. cristata.

Inter vineas Tokayenses crescere nuntiat Mauksch in litteris:

652. V. aphylla.

In alpibus Scepusii, Liptoviae et C. Zol. In posterioribus alpe nempe Kunstava et Gyumbér obviam habui varietatem, ejus caules ad medium et ultra dense foliosi erant; caeterum pili etiam in hac articulati.

653. V. bellidioides.

In Pop-Iván alpe Marmaros.

654. V. saxatilis.

In rupibus alpinis Scepusiensibus, Liptoviensibus, Thu-
rociensibus, Trencsinensibus; supra Sz. Iván ego, in monte
Strachaw Rochel, in monte Tlszta Comes Waldstein.

655. V. elatior Ehrh. pl. select. 31. Willd. Enum. pl. hort.
berol. p. 17.

In uliginosis ad Cegléd.

656. V. alpina.

In alpihus Scepusii; in Kriván atque in alpe Arvensi
Rohács.

657. V. glabrae affinis.

Folia ovato-lanceolata, grosse serrata, acuta, petio-
lata, inferiora opposita, superiora terna. Racemi termi-
nales, oppositi ternique. Bractee setaceae, pedunculo bre-
viores. Calyces 4-fidi, obtusiusculi. Capsulae obcordatae,
glabrae. Caules, folia, petiolique subpubescunt.

Habitat in pratis ad Sárviz e. c. non procul Káloz. Flo-
ret inde ab initio Junii. *Australi* potius, quam *glabrae*, sal-
tem foliis accedens.

658. V. obliqua mihi.

Spicis terminalibus: tota subtomentoso-canescens; foliis
oppositis, lanceolatis, acutis, inaequaliter serratis, basi oblique
ovatis.

Haec forma occurrit in horto, nescio, an in Hungaria
inventá.

659. V. neglecta. Vahl. En. 1. p. 59. et Willd. En. hort.
ber. I. p. 15. *V. canescens* Schrad. de Ver. spic. p. 19.

Habitat in monte Harsány Cottus Baranyensis.

660. V. crinita.

Spicis lateralibus, apice caulis brevioribus; bracteis phyllisque angustissimis linearibus; foliis subsessilibus, inciso-serratis. Sub X. 5. missa Willdenowio.

661. V. officinalis.

In silvis montanis.

In Cottu Castriferrei prope limites Styriae occurrit varietas: foliis triplo minoribus, obovato-acutiusculis, inferiore parte prope ad medium integerrimis, statura multo minore. Caeterum caules repentes, villosi. Fol. petiolata, a medio ad apicem serrata, villosa. Racemi laterales, apice caulis longiores, 10 — 12-flori: floribus brevissime pedicellatis; calycibus 4-fidis, pedunculisque villosis. Corollae coeruleae. Capsulae pilosae.

662. V. serpyllifolia.

In sylvis Budens., Pomász., Slavoniae, Banatus, Croatiae et in alpibus Arvensibus.

663. V. serpyllifolia var. rotundifolia.

Radix perennis. Caules latissime repentes, e geniculis radículas filiformes, alidas, fibris instructas demittentes, ascendentes, subspithamaei, teretes, pubescentes, pilis superioribus glanduliferis, basi opposite ramosi: ramis decumbentibus, radicantibus, altero anno in caules excrescentibus, ceterum indivisi. Folia opposita, obtusa, utrinque nuda, subtus punctata, nervosa, obsolete crenata, inferiora et ramea rotundato-ovata, petiolata, petiolum semiteretem supra canaliculatum folio breviorrem decurrentia, superiora subrotundo-ovalia, obtusissima, subsessilia. Flores axillares, solitarii, in racemo terminali, successive elongando pedunculati: pedunculis inferioribus oppositis, ternisve, superioribus alternis, teretibus, pilis glanduliferis instructis; bracteis flores excedentibus, oblongis, obtusis,

inferioribus subcrenatis, superioribus successive minoribus, integerrimis, pilis glanduliferis obsitis. Calyx pariter pubescens pilis glanduliferis, 4-fidus: laciniis obtusis, inaequalibus, suprema paulo minore, infima paulo majore lateralibus. Corolla calyce paulo major: tubo brevissimo, pallide flavescente, intus piloso: limbo 4-partito: laciniis rotundatis, suprema maxima, coerulescente cum striis a profundo violaceis, inferne confluentibus, reliquis albidis cum parcissimo tinctu coerulescente: lateralibus subtristriatis, infima triplo minore, concolore s. striis nullis notata. Stamina longitudine laciniarum lateralium: filamentis albis, basi tubi insertis, infima parte flavescente, attenuata, superne incrassatis; antheris atro-coeruleis, inferne bilobis. Germen subcompressum, superne marginatum, circum stylum pilis glanduliferis obsitum. Stylus inferne attenuatus, albus, superne violaceo-coeruleus. Stigma obtusum album. Capsula

Habitat locis humidis in montibus Nagybányensibus. Floret Majo.

V. rotundifolia convenit cum *serpyllifolia*, caulibus repentibus, basi ramificatis, teretibus; foliis obtusis, crenatis, subtus punctatis, nervosis, nudis, inferioribus petiolatis, superioribus subsessilibus; inflorescentia racemosa; bracteis inferioribus oppositis crenatis, superioribus alternis, integerrimis, flores excedentibus, calycibus 4-fidis. Sed differt: magnitudine omnium partium, qua primo intuitu ad *Beccabungam* accedit; 2) foliis subrotundis; 3) caule superne, pedunculis, calycibus, bracteisque piloso-glandulosis; 4) florescentia duabus hebdomadibus priore.

664. V. Anagallis.

Crescit locis sabulosis humentibus.

665. *V. tenerrima*. Schmidt Fl. boh.

In pratis uliginosis ad Szöllös-Györök in Cottu Sümeghiensi.

666. *V. scutellata*.

In Banatu foliis integerrimis; Pesthini, Budae, Pomazini.

667. *V. urticaefolia*.

Habitat in dumetis ad Boeskó prope Tibiscum.

668. *V. montana*.

In montana parte Cottus Sümegh. Zselic dicta, et in alpibus atque subalpinis Croatiae (Plissivica), Com. Bereghiensis (Polyanina s. Berzava), Arvensibus; in fageto Thurociensis Krivan legit Wahlenberg.

669. *V. hедераefolia*.

In Cottu Trenchin.

670. *V. arvensis*.

In arvis et pascuis.

Praeter hanc in Hungaria crescunt duae aliae, in quas definitio *V. arvensis* quadrat, una *V. viscida*, altera *V. depressa*.

671. *V. viscida* mihi.

Non differt a *V. praecoce* All. sec. Schrader. Willdenow schrieb mir, er habe vor mehreren Jahren schon diese *Veronica* gesehen und immer für eine Abart der *V. acinifolia* gehalten, sie sei Schmidt's *V. praecox*, die er als Synonym zu *V. acinifolia* citirte. Crescit in collibus et montibus apricis, siccis, arenosis et calcareis Budae ac Pesthini.

672. *V. depressa* mihi.

Radix annua pollicaris aut sesquipollicaris, fibrose divisa. Caulis aut erectus aut declinatus, a basi ramosus: ramis decumbentibus, oppositis, cauleque pubescentibus, pilis bifariam densius congestis. Folia internodiis caulinis per-

brevibus aequalia aut longiora, brevissime petiolata, ovata, obtusa, utroque margine dentibus duobus tribusve inciso-crenata, pubescentia, utrinque viridia, subnervosa, inferiora subrotunda. Flores alterni, sessiles, densi, bracteis interstincti, interstitia superantibus, subtus elevato-punctatis. Corollae lacinae subaequales. Stamina corolla breviora: antheris flavis. Capsula calyce brevior, obcordata, compressa, pubescens. Semina in singulo loculamento 8 — 9, ovata, compressa, fusca.

Differt igitur: caule depresso, a basi ramoso, ramis decumbentibus; foliis utrinque viridibus, internodia caulina aequantibus aut superantibus; floribus sessilibus bracteisque dense congestis etc.

In pascuis siccis occurrit, in horto constans.

673. *V. verna*.

Folia inferiora saepe integra.

Pesthini in pascuis; Budae in montibus, Scepusii in colibus, silvis.

674. *V. acinifolia*.

Ad Pece Sz. Márton.

675. *V. pusilla* mihi.

Radix annua, pallida, vix pollice longior; subsimplex, flexuosa. Caulis vix sesquipollicaris, basi ramosus, superne subdichotomus, ramis binis inaequalibus, nonnumquam flore ex dichotomia prodeunte, subpurpurascens, villis appressis canescens. Folia infima ovata, rariter dentata, petiolata; caulina digitato-partita, floralia (an etiam summa?) tripartita, subsessilia; lacinae apice subcalloso obtusiusculo. Flores subsessiles: laciniis calycinis lanceolatis, apice subcalloso-obtusiusculis, exterioribus duabus duplo majoribus. Corolla minuta, pallide coerulea, laciniis acutiusculis, infima brevior,

sed latiore, tubo albo; filamenta alba corollā breviora; antherae obscure coeruleae. Germen ovatum compressum; stylus et stigma crassiusculum, alba. Capsula Semina

Folia et calyces pilosi, pilis nudis, nec apice glanduliferis ut in *V. triphylla*. Floret sub initium Aprilis. Crescit in clivis Pesthini. Duplo minor *V. triphylla*.

Orobancheae.

676. Orobanche ramosa. O. III. Πολυκλώνος. Clus. 271.

In pratis siccioribus, atque in agris Zea et Tabaco consitis, quarum illam infra Potharaszt, hoc in Banatu a parasitica hac planta nimium exsugi et debilitari vidi.

677. O. major. O. I. Clus. hist. 270.

678. Lathraea squamaria.

Habitat in umbrosis succulentis convallium, ubi folia arborum copiosa putrescunt e. c. in Anwinkel Budae, infra scaturiginem Saukopf dictam et supra eam; in Banatu supra thermas Herculis versus limites Valachiae; in silvis non procul arce vetusta Solymos in Cottu Aradiensi.

Utricularieae.

679. Pinguicula vulgaris.

In alpidibus Scepusii et in Krivan.

680. P. flavescens. Flörke Schrad. bot. Journ. I. B. 1800. S. 87.

Secundum Rochel in Tatra cum aliis vulgaribus subalpinis plantis. In alpidibus Zoliensibus ipse legi: nimirum in vallē alpina sub Gyömbér.

Primulaceae.

681. **Primula inflata** mihi. **P. calycina** Mauksch
in litt.

Minor *P. acauli*, *officinali* et *elatior*e.

Radix perennis. Folia ovata, a petiolo alato plica reflexa aut inflexa distincta, marginibus undulata, non subrevoluta, parce obtuse dentata, obtusa cum obtuso brevissimo mucrone, a pube brevissima, densa, vix discernibili tactu mollia, supra rugosa, subtus venosissima, rachi carinata eminente, albida. Petioli supra plani, subtus carinati, albidi, folio decurrente marginati. Scapi foliis paulo, demum prope duplo longiores, erecti, teretes, mollissime villosi, villo brevissimo denso, indeque canescentes, 5 — 10-flori: floribus umbellatis, nutantibus, inaequaliter pedunculatis: pedunculis more scapi villosis et canescentibus: bracteis subulatis, pedunculos sub florescentia aequantibus aut nonnihil excedentibus. Calyx corolla duplo brevior, collo tubique parte emersa inflatus, 5-angulato-sulcatus, mollissimis brevissimisque vix discernibilibus villis tectus, canescens, ad $\frac{1}{3}$ aut paulo ulterius 5-fidus: laciniis lanceolatis acutis, basi angustatus. Corolla citrina: tubo cylindrico, pallido; collo ovato viridescenti-flavo; limbo concavo; laciniis incurvis, superne angustioribus, emarginatis, intus ad basin aurantio-coloratis. Stamina tubi longitudinem aequantia, collo dilatato inserta: fil. brevissimis antheris oblongisulcatis. Germen globosum glabrum nitidum. Stylus filiformis. Stigma globosum. Ergo corollae limbo concavo cum *P. veris*, collo rotundato cum *P. elatior*e convenit. Willdenow pro *P. veris* habet.

682. **P. cordifolia** mihi.

An varietas *P. veris*? differt foliis spathulato-cordatis, grossius dentatis E Croatia?

683. P. longiflora.

Habitat in Carpato.

684. P. acaulis. P. vulgaris Willd.

Ex alpbis Scepusiensibus et Liptoviensibus.

685. P. farinosa.

Ibidem.

686. P. elatior.

Ibidem.

687. P. marginata?

In alpe Chocs.

688. P. Auricula.

In rupibus alpinis et subalpinis Cottus Scepusiensis et Zoliensis.

689. P. minima.

Sed folia glabra, nec (ut in syst. veg. ed. Reich. statuitur) hirsuta, corollae violaceae, nec flavae aut carneaе. In alp. Scepusii, Liptov. Marmaros.

690. P. farinosa.

In Scepusio, Liptoviae.

691. P. villosa β. seu P. pubescens Jacq.

E monte Gerova Scepusii a D. Szontag.

692. P. viscosa.

Folia certe odora. In alpbis Croatiae.

693. Cortusa Matthioli.

In alpbis Zoliensibus, Liptoviensibus, Scepusiensibus potissimum in rupibus calcareis. Julio, Aug. In monte Strassow, Cottus Trenchin, legit Rochel.

694. Soldanella alpina.

In alpbis Croatiae, Marmatiae, Scepusii, Liptoviae.

695. Lysimachia vulgaris.

In silvis humidis e. c. ad Cegléd, in Mátra.

696. *L. verticillata* Marsch.

Similis *L. vulgari*, sed hirsuta, incana, calyces non marginati, flores minores. A Wolny e Syrmio missa sub nomine *L. punctata*?

697. *L. punctata*.

In silvis humidis, arundinetis.

698. *L. nemorum*.

In silva subalpina montis Guttin, in Scepusiensibus. [a Genersich.

699. *L. Nummularia*.

In uliginosis inter carices et arundines, in silvis locis humidis.

700. *Trientalis europaea*.

In Scepusio.

701. *Anagallis carnosa* mihi.

Corolla phoenicea differt a *latifolia*; a *phoenicea* vero foliis cordatis, duplo latioribus, obsolete 7-nerviis, sub-carnosis.

Ericaceae.**702. *Erica vulgaris*.**

Folia lente inspecta et calycis exterioris foliola brevissime ciliata, potissimum in speciminibus subalpinis a Mauksch lectis. In Cottu Castriferrei, Croatia (ad Brezovicam et inter Zagrabiam et Jakobla alibique copiosissima), tum in Cottu Castriferrei, in sylvis subalpinis Scepusii, Liptoviae, Arvae.

703. *Andromeda polifolia*.

In uliginosis stagni Dumitru, infra montem Rosály pone N. Bányam.

704. *Arbutus Uva ursi*.

In alpe Plissivica Croatiae copiosissima, in alpiibus Scepusii, in summitate alpis Arvensis Rohács.

705. A. alpina.

Folia petiolique ciliati pilis longiusculis. Caules procumbentes. In alpe Badány montium Velebich. — Pro *A. alpina* missa a Genersich, qui interrogandus an Scepusii incola sit. Differt foliis coriaceis, nitidis, glabris, ternis, quaternisque, est *Pyrola umbellata*.

706. Vaccinium Myrtillus.

Non tantum in silvis umbrosis, sed et locis apricis, inque alpibus occurrit. Varietatem hujus legi foliis subrotundis, obtusissimis, serraturis apice setula terminatis. Huic fere simile, sed superioribus foliis magis ovatis occurrit in alpibus Bereghiensibus.

707. V. uliginosum.

Nuspian, nisi ad stagnum in Dumitru, occurrit locis uliginosis, verum plerumque in siccis alpium Rosály, Guttin, Petrosa, Pop Iván, Kriván, Babia Gora, Polyanina Beregh. Folia nonnunquam acutiuscula, lanceolata, saepe obovato-cuneiformia. Descriptum inter plantas itineris Bereghiensis. E Scepusio misit Genersich et Mauksch qui notat, stamina 8, corollam urceolatam, 4-fidam, calyceem (per errorem) inferum, 4-fidum; antheras singulas spinulis incurvis munitas; stylum linearem; stigma simplex esse. Nos ipsi legimus in jugo, supra *Pinum Pumilionem* multum elato, sub cacumine Lomnitzensi. β . *rotundifolium*. In alpibus Bereghiensibus lectum. Folia subrotunda et subrotundo-obovata.

708. V. Vitis Idaea.

In alpibus et subalpinis Scepusii, Liptoviae, Arvae, Zoliensibus, Castriferrei et Bereghiensibus.

709. V. Oxycoccus.

In uliginosis in stagnum Dumitru, e Scepusio a Mauksch.

710. V. carpaticum mihi.

Caules fruticosi, repentis, ramulos non angulatos, sed

nodosos erigentes. Folia subrotunda, obtusissima emarginataque, venosa, nitida, serrata. Petioli basi barbati. Flores videntur terminales congesti esse. In summo Carpato lectum.

711. *Rhododendron ferrugineum.*

Prope nivem perpetuam in Petrosa, et ad Izvoru Kailor in Trojaga alpibus Marmatiae.

712. *Pyrola rotundifolia.*

Scapus hujus aliquot folia lanceolata obtusa gerit, qua nota prompte a sequente discernitur. Folia obsolete denticulata (nec ut Smith dicit, obsolete serrata). In dumetis et silvis Scepusii et Liptoviae.

713. *P. minor.*

Scapus aut aphyllus, aut unum foliolum lineare adnectens. Folia crenata cum denticulo interjecto, a singulis venis excurrente, nec rotunda, nunc ut in priore, ad ovatam figuram et quidem in hac magis accedentia, quandoque acutiuscula, et basi nonnihil in petiolum protracta. In Sauwinkel loco udo umbroso, in Scepusio ad acidulas Szalokenses, in Liptovia.

714. *P. secunda.*

Variat foliis obtusis et acutis, crenatis. In silvis subalpinis Scepusii, Liptoviae, Arvae, in monte Care ad limites Cottus Arvensis et Thurociensis, in Kriván, in silva montis Domuglet ad thermas Herculis, in alpe Szilág montium Velebich.

715. *P. umbellata.*

In monte Care ad limites Cottus Arvensis et Thurociensis. E Scepusio misit Genersich sub nomine *Arbuti alpinae*.

716. *P. uniflora.*

Ad radices Pini in Valle Völkensi, ad lacus Plitvicenses, Jadrina Polyana aliis montibus Velebich, in vallibus Cottus

Liptoviensis et Arvensis. Folia sunt subrotunda; vel subrotundo-ovata, nec obovata ut Smith.

717. *Monotropa Hypopitys.*

In dumetis subalpinis et umbrosissimis in Scepusio, ad acidulas Nagy Szalokenses. A Mauksch et Genersich missa. Posonii ubi a Lumnitzer lecta.

Umbelliferae.

718. *Cicuta virosa.*

In paludibus nequaquam sterilibus, ut in Sp. Pl. notatur. β . In palude versus Keresztur et in Ecsediensi Láp dicta, legi aliam, umbellis multo minoribus ramos caulis ramosissimi terminantibus, foliis foliolisque minoribus et serraturis horum muticis, nec mucronatis albo-terminatis (saltem in sicco).

719. *C. angustifolia* mihi.

Willdenow similem misit pro varietate *C. virosae*. Caulis in solum uliginosum penetrans, verticillatim radices exserens, erectus 2—3-pedalis, ultra medium indivisus, tamen superiore parte in ramos ad angulum acutum erectos divisus, teres, striatus, pennam anseris aut cygni crassitie aequans. Folia bipinnata, longissime petiolata: foliolis linearibus, remote inciso-serratis, saepe dentibus tantum duobus tribusve utrinque, quandoque unico: dentibus setaceo-mucronatis. Vaginae foliorum caulinarum membranaceo-marginatae, obtusae, extus striatae. Umbella universalis radiis 6—10? subangulatis. Involucrum universale nullum, parziale polyphyllum, umbellulam subaequans: foliolis lineari-setaceis. Caulis purpurascit. Umbella quandoque ramum edit. Reperi in prato uliginoso Cottus Sümeghiensis inter Homok Sz. György et Patosfa initio Augusti florentem.

720. *Sium latifolium.*

In fossis et paludibus Pesthini alibique.

721. *S. angustifolium* rectius *S. incisum* Persoonio.

In palude ultra praedium Bozsitova.

722. *S. cicutarium* mihi et Willden.

Sed videtur varietas prioris. A D. Kittel adlatum. Fere tantum foliis oblongo-lanceolatis diversum. Involuceri et involucelli foliola etiam huc pleraque integerrima, quaedam hinc aut utriusque incisa et unidentata, dentibus apicibusque horum, et foliorum reliquorum setaceo-mucronatis. Seta albida.

723. *S. oppositifolium* mihi.

Caulis erectus, teres, striatus, glaber, laevis, fistulosus, ramosus, ramis ad angulum acutum erectis, plerisque oppositis. Folia pluraque opposita, bipinnata, superiora pinnata, ternata, summa non raro simplicia: foliis lineari-lanceolatis, indivisis, aut incisura bipartitis, acuminatis, basi in petiolum angustatis integerrimis, summis linearibus. Vaginae breves, sulcatae, margine membranaceae. Umbellae terminales lateralesque, pleraque oppositae. Pedunculi, radii pedicellique teretes, striati. Involucrum subpentaphyllum: foliis inaequalibus; quibusdam lanceolato-linearibus, linearibusque integerrimis; involucellis itidem subpentaphyllis: foliis aliis umbellula longioribus, linearibus aut lanceolato-linearibus, aliis aequalibus brevioribusque angustis, lineari-subulatis. Petala alba. Tota planta (nec radiis, pedicellisque exceptis) glaberrima laevis. Communicavit Schwarzmann, qui in Stiavnika reperit et *S. angustifolium* nominavit.

724. *S. Falcaria*.

In siccis potissimum in aggeribus et inter vineas: Budae, ad Kaloz, in Sirmio etc.

725. *Aegopodium Podagraria*.

Ad sepes, in pomariis, silvis, praesertim locis humidis.

726. Carum Carvi.

In pratis. A Szontag sub n. 93. Etiam ex albis Arvensibus adlatum.

727. Pimpinella Saxifraga.

Caule foliisque glabris ad Herlein cum pubescente, quae igitur esset *nigra*, a qua vix distinguenda. Habitat etiam in montosis graminosis Budae, inque pratis siccis. E Comitatu Nitriensi adlata.

728. P. nigra.

E Comitatu Barsiensi adlata simillima specimini a Willdenow misso, sed major fere bipedalis. Lumnitzer eandem pro *P. orientali* dederat. Ad Herlein occurrit minor, vix nisi pubescentia distinguenda a *P. Saxifraga*. Foliorum radicalium figura variat obovata in subcordatam.

729. P. magna.

Tota glabra. Foliis valde varians, nequaquam uniformibus, superiorum foliolis non raro linearibus, foliolis, inferiorum cordatis, ovatis, obtuse lobatis (qualis a Rochel culta), lanceolatis (qualem in horto Papae legeram), floribus albis et rubris (qualem ego in Chocs, Mauksch in albis Scepusii legerat) in omnibus styli longi: contra characterem generis. In nota ad Sp. Pl. foliola latiora, quam longa dicuntur, qualia nunquam vidi. Habitat in silvis sepibus Budae, in albis et subalpinis Cottus Scepusiensibus et Thuroc.

730. P. dissecta.

In subalpinis et albis Velebich. Caulis spithamaeus, pedalis, sesquipedalisve.

731. P. glauca.

Inter Békás Megyer et Kákász in colle, ad Rátóth in pratis siccis, ad Füred in montibus vitiferis, inter Boksán et Temesvarinum in pratis siccis.

732. P. dioica.

In pratis siccis et pascuis Pesthini, in collibus et montibus Budae, in ipsa alpe Plissivica.

733. Oenanthe fistulosa.

α. In uliginosis Pesthini, in Cottu Nitriensi ubi lectam misit Genersich, in Comaromiensi Cottu inter Babolnam et Sz. Iván ipse legi; in Slavonia obviam habui caule simplicissimo; Poonii legit Lumnitzer.

Caulis recte in humum uliginosam penetrans radículas verticillatim exserens, erectus, ramosus, subsulcato-striatus, fistulosus. Folia radicalia bipinnata; foliolis brevibus, obtusis; caulina subbipinnata, superiora pinnata; petiolis elongatis, fistulosis, striatis c. foliolis linearibus obtusis. Umbella primaria pedunculo crasso, fistuloso, striato-sulcato, 3—4-fido, non raro tantum bifido. Umbellulae globosae. Styli in fructu elongati, hoc longiores, erecti. An haec distincta species?

β. An distincta species? Caules a basi ramosissimi, ramis elongatis, diffusis. Folia infima bipinnata, reliqua pinnata: pinnulis inferiorum pinnatifidis, superiorum integerrimis, laciniisque linearibus, acutiusculis. Rami petiolique fistulosi. Rami caule longiores. Umbella in specimine quod habeo, trifida, pedunculo elongato insistens. Cum stolonifera dicatur in Sp. Pl. forsitan haec est vera, et praecedens distincta. Legi in uliginosis ad Rákos. In Slavonia legi plura specimina caule erecto, simplicissimo, unicam umbellam ferente; haec igitur non potest dici stolonifera. An *Tabernaemontani* Gmel. fl. bad. et Schult. fl. austr.?

734. O. crocata?

In Banatus humidis. Caulis erectus, simplex, nec nisi apice in paucos ramos seu pedunculos umbelliferos divisus, sulcato-angulatus, glaber, laevis. Folia alterna, subtriplicato-

pinnata: bipinnata nimirum; foliis profundissime pinnatifidis, laciniis infimorum foliol. obtusis, reliquorum linearibus, angustioribus, acutis. Umbella radiis 10—12-angulatis, glabris, laevibus. Pedicelli breves. Involucrum universale nullam; involucella polyphylla, foliolis linearibus, longitudine pedicellorum. *Radix fibrosa.*

736. *O. peucedanifolia.*

In humidis inter Zagrabiam et Carolostadium, in silvis humidis Banatus e. c. in Temesiensi ad 2—3 pedes excrescit, alias saepe tantum pedalis aut 1½-pedalis pro *O. fistulosa* sub ? misit Wolny in sicco natam; etiam ad Pece Sz. Márton in pratis humidis, ad Brezovica, in Croatia, ad Káloz, in Cottu Albensi. A Wolny sub *O. pimpinelloide*. Floret sub finem Majo et initio Junii.

Radicum tubera oblonga, quae in nonnullis regionibus gallicis pueri edunt (Pers. Synops.). In itinere magno-varadiense hanc plantam sub dubio pro alia specie habui. Fructus globosi. A Wolny sub nom. *O. pimpinelloides?* missa videtur etiam esse *O. peucedanifolia*.

737. *O. pimpinelloides.*

In Hungaria a me lecta, sed non memini ubi.

738. *Phellandrium aquaticum.*

In aquis stagnantibus Hansabég.

739. *P. Mutellina.*

In alpibus carpaticis, locis graminosis frequens.

Pro *Laserpitio simplici* habetur a nonnullis nostratium.

β. prolifera. Hujus specimen miserat Mauksch in alpibus Scepusii lectum: umbellulae praeter flores pedunculatos gerebant umbellulas, ut adeo ter umbellata fuerit inflorescentia.

740. *Aethusa Cynapium.*

In silvis, hortis, aquis.

741. A. Meum.

In alpinis. *Seseli alpinum* Ledeb. *Seseli alpinum* Ledeb.

742. Seseli glaucum.

In collibus et montibus apricis Budae, Pesthini, Posonii, ad catarractas Motieskenses in rupibus calcareis, in silvis montanis Scepusii, in Cottu Castriferrei. Genersich idem e Scepusio misit, a *S. glauco* diversum putans, et pro *Selino Chabraei* (!) habens.

743. S. carinatum vel scabriusculum mihi.

Affine *S. glauco*, sed humilior, vix sesquipedale. Radix perennis, superne fere digitum auricularem crassitie aequans, inferne ramosa, fusca, apice fibris corruptorum petiolorum barbata. Caulis erectus, teres, striatus, glaber, glaucus, inferne purpurascens, ramosus. Folia triplicato-pinnata: foliolis fasciculatis, subincurvis, vix semipollice longioribus, linearibus, mucronatis, carinatis, marginibus scabris. Petioli striati, laeves; in vaginam dilatati striatam. Umbella multiradiata, patens, involucrio universo nullo: radiis inaequalibus, striatis, glabris. Involucella linearia, acuminata, margine membranacea. Habitat ad lacum salsum in praedio Sz. Iván Cottus Albensis loco arido. An *S. tortuosum*?

744. S. annuum.

In collibus et montibus apricis, pratisque siccis Budae, Pesthini, ad arcem Huszth, in Syrmio, Scepusio, Cottu Castriferrei etc. Corollae non raro purpurascunt, quale e Cottu Bereghiensis attuli. Anguli radiorum scabri; caules pubescentes, quandoque glabriusculi. Palmare, spithamaeumve in Scepusio occurrit. Genersich misit varietatem vel lusum, pedunculis umbelliferis in umbellam dispositis, foliis velut involucrio circumdato.

β . caule elatiore, nonnisi apice ramoso, glabro in pratis Cottus Pesthiensis, Csanádiensis etc.

745. S. gracile.

In montibus calcareis ad thermas Herculis.

746. S. leucospermum.

In montibus apricis Budae, ad Budaörs, in Tihany.

747. S. Hippomarathrum.

In saxosis apricis aridis Budae etc. Specimina desiderantur.

748. S. rigidum Pl. rar. Hung. *Bubon rigidus* Spreng. Pl. minus cogn. pug. II. 53. n. 101. *Seseli dichotomum* Sprengelio ibidem adserente. In rupibus calcareis Banatus e. c. ad Szászka, arcem Bee ad thermas Herculis.

749. Ligusticum scoticum.

A Rochel in monte Malenica Cottus Trenchin lectum, videtur esse *L. austriacum*. Conf. cum icone *L. scotici* in Oederi Fl. dan.

750. L. aquilegifolium. (*Danaa aquilegifolia* Gouan.)

Pro *L. scotico* missum a Wolny, a me lectum in silvis et inter vineas ad monasterium Sirmiense Gergetek.

751. L. austriacum.

In umbrosis Matrae, in silvis caeduis locisque udis Scepusii et in silvis Croatiae.

752. Angelica Archangelica.

In alpium Scepusii et Liptoviae saxosis alpinis. In Kolbach, sub Kriván etc. Wahlenberg adserit, hanc nostram corollis viridibus eandem esse.

753. A. silvestris.

In fossis aquosis Pesthiensibus versus Soroksár, infra Bagh, alibi in umbrosis et apricis siccioribus. In alpibus Scepusii unde a Mauksch et in Marmarosiensibus Pop Iván occurrit varietas, foliolis angustioribus, profundius inciso-ser-ratis, quam pro distincta specie habebam.

754. Pastinaca Opoponax.

In pratis siccis ad Korenicam. Vera Ferula.

755. Heracleum Sphondylium? potius Panaces vel austriacum.

Caulis sulcato - angulatus, hispidus, setis albis, diaphanis, planiusculis, subreversis, superiore caulis parte rarescentibus, demum deficientibus. Folia pinnata: foliolis pinnis internodiis sessilibus impari approximatis; non raro cum eodem in unum trilobum connatis, quo in casu folia ternata sunt: caeterum foliola rarius oblonga pinnatifida, verum saepe irregulariter lobata, basi subcordata aut ovata sunt, supra pilis brevibus, albis diaphanis adpersa, subtus similibus densioribus hirsuta, rachi petiolisque hispidis, setis diaphanis planiusculis, vaginis versus petiolum setis reversis hispidis, caeterum praesertim superiora versus glabriusculis. Flores plus minus radiati. Lobi foliorum acuti. Tale erat quod Mauksch ex alpibus Scepusii miserat, quandoque ad Ráho in Cottu Marmarosensi in pratis et hortis frequens erat. An hoc potius *H. Panaces*? Paulo magis hirsutum et foliis ternis, floribus amplius radiatis, in subalpinis Trojagae pone Borsa legi. Consideratis iis, quae de *Panaces* dicuntur in Sp. Pl., haec planta nequit esse *H. Panaces*: nam folia subtus non sunt tomentosa, nec pendula laevia. Ergo erit potius *H. austriacum*, nec tamen foliola sunt venoso - rugosissima, demto unico specimine, quod Mauksch sub nomine *H. Panaces* miserat.

756. H. Panaces?

In alpibus Petrosa, Pop Iván et Tatrae lecta quaedam specimina magis conveniunt, non tamen pedunculi laeves sunt. Nec quae Mauksch sub nomine *H. austriaci* miserat satis congruunt.

757. H. Sphondylium.

E Scepusio a dom. Szontag.

758. H. angustifolium.

Sub hoc nomine missum a Mauksch; sed videtur diversum fors *H. elegans* Jacquini. Foliorum lacinae lanceolatae; margine ciliato-serrulatae. Foliola supra glabra, subtus hispida. Habitat in alpibus Scepusii. Floret Aug.

759. H. alpinum?

Ex alpe Badány tractus Velebich.

760. Laserpitium gallicum.

Discrepat quidem a speciminibus in horto lectis, sed definitio convenit. Legi in Hungaria sed non memini ubi?

761. L. angustissimum?

Caulis erectus, sulcato-angulatus, glaber, laevis, simplex. Folia triplicato-pinnata, glabra, laevia; foliolis cuneiformibus, trifidis 5-fidisque; laciniis lineari-lanceolatis, acutis setaceo-mucronatis. Involucra linearia, inferne membranaceo-marginata, apice pubescentia, brevissime ciliata. Involucella linearia brevissime ciliata. Pedunculi scabriusculi.

In alpe Számár Croatiae.

762. L. multifidum vel **multipartitum** mihi (sub D. 24 missum Willdenowio).

Radix perennis, inferne ramosa, penna anserina paulo crassior, extus fusca, intus alba. Caulis solitarius, erectus aut subascendens, pedalis, raro altior, saepe brevior, glaber, laevis, ramos 1 — 2 edens, nonnunquam simplicissimus. Folia subtriplicato-pinnata: foliolis multipartitis, laciniis linearibus, mucronatis, glabra. Petioli sulcato-striati, glabri. Pedunculi ut in praecedente angulati, scabriusculi. Involucra et involucella linearia, brevissimis pilis pubescentia ciliataque. Habitat in alpibus Velebich. Proximum *L. angustissimo* forsitan *L. formosum*.

763. L. pruthenicum.

Sed foliola non nisi pauca, integerrima, verum bi-, tri-, 5-fida; laciniis lanceolatis. Involucra et involucella membranaceo-albo-marginata. In silvis et fruticetis Budae, in Matra, ad Quinque-Ecclesias, ad Kobola-Polyana, in Slavonia ad Kuttjevo, in Banatu. Ad Rátoth Cottus Veszprimensis. In Galya monte Matrae. Foliolis laciniis acutis, in Banatu obtusis cum brevi mucrone. Varietatem hujus foliolis trilobis Lumnitzer pro *L. trilobo* vindicavit; simile legi ad Munkács in monte.

764. L. silaifolium.

Ni fallor in Litorali legi.

765. L. peucedanoides.

In Sp. pl. dicitur in alpis Croatiae crescere. Petendum itaque est et cum *L. angustissimo* et *multipartito* conferendum.

766. L. Siler.

In monte Merszin et ad lacus Croatiae Plitvicenses occurrit foliolis latioribus, ovatis, ovalibus et obovatis, obtusis, mucronatis, in subalpinis Cottus Arvensis foliolis ovali-lanceolatis, obtusis, cum mucrone, basi angustatis, subcuneatis; ad Báb inter vineas est foliolis lanceolatis, acutis.

767. L. Archangelica.

In Merszin et Plissivica; Rochel im Szlatinaer Thale, 6 Stunden über Lubochna hinauf jam defloratum legit et quaerit an *L. Chironium* Scopoli, quod ad *L. Archangelica* citatur in Sp. Pl. In monte Klakberg inter C. Liptov. et Thuróc. Wahlenberg.

768. L. simplex.

Ex alpinis Scepusii. Mauksch.

769. Scandix odorata.

In silvis sub Plissivica monte Croatiae. Fera multo hirsutior est culta, subtus praesertim canescens.

770. S. Pecten Veneris.

In agris ad Korenicam in montosa Croatia.

771. S. Anthriscus.

Ad hortos, in sepibus vinearum etc.

772. S. nodosa.

In fruticetis montis Badaeson.

773. Chaerophyllum silvestre.

Pro Scandice nova habitum, sub Plissivica in silva lectum, Willdenowio missum, vix nisi petiolis pilis adspersis et involucellis parum ciliatis diversum.

774. C. nemorosum M. Bieb. var. *latescens*.

In silvis montis Versecensis et in nemoribus Banatus.

775. C. ciliatum mihi.

Caule inferne hirto; vaginis ad insertionem pilis rectis; foliolis ciliatis; involucellorum apicibus elongatis a *C. silvestri* diversum. Caulis centro inani. Ad Modruss in Croatiae lectum sub finem Augusti (nimirum tempore, quo reversebatur) florere incipiens.

776. C. bulbosum.

In hortis ad sepes, in silvis, ad muros, Sopronii, Nagy Martonii, Budae, Szalatnyae etiam in salicetis Scepusii ad rivos.

777. C. temulum.

In silvis et fruticetis Budae, ad Csákvár in Cotta Arvensi.

778. C. hirsutum.

In pinguibus humidis alpinis et subalpinis, atque ad rivulos in Cotta Scepusiensi, Liptoviensi, Szathmáriensi, Marmarosiensi, Croatiae. In valle pone Lunkaszprie.

779. C. Cicutaria Vill. et Schult.

In alpe Plissivica, in silva sub hac alpe, in Scepusio unde a Szontag sub no. 94. et a Genersich sub nom. *C. aro-*

matici. Ad catarractas Szluinenses fuit partim hirsutum, partim glabriusculum. In Merszin valde hirsutum, vix pedale.

780. C. alpinum mihi.

Radix perennis oblique repens, pennam anseris cygnive crassitie aequans, fusca, fibrosa radículas edens. Caules erecti aut adscendentes sesquipedales, subsulcato-striati, aequales, glabri, laeves, superne in 2 — 3 ramos seu pedunculos umbelliferos divisi. Folia biternata, foliolis ovatis, subtrilobis, lobis inciso-serratis, serraturis mucronatis, supra glabra, subtus hispida pilis rarioribus. Vaginae breves amplexicaules, margine subciliatae, auriculis subbarbatae, extus glabrae, sulcato-striatae. Petiolus communis glaber, partiales subhispidi pilis adpersi. Pedunculus umbellae subsulcatus. Radii angulati, glabri, laeves. Involucella lineari-subulata, demto apice ciliata. Petala obovata, alba, extus pubescentia, exteriora flosculorum extimorum paulo majora. Stamina petalis longiora; filam. albis; antheris pallide flavis. Germen oblongum, glabrum, laeve. Semina similia, longiora, nitida, stylis longis divergentibus mucronata. Habitat in alpinis montis Kriván. Floret Augusto. Reperi tamen eodem in loco etiam foliis glabriusculis et aliam varietatem caule hirsuto. An *C. hirsuti* varietas, ad quod accedit.

781. C. aromaticum.

Sed genicula tumida. In silvis Budae, in Syrmio, ad Herlein et Ránk, ibidem etiam in sepibus, hortis et arcis; in alpibus Bereghiensibus, ubi caulis hirsutior; ad Herlein glabrum occurrit, aut caule setis paucis adpersis.

782. C. aureum.

Caulis non raro glabriusculus, alias basi potissimum hispidus, in alpibus pedalis, in Szenskiput sub Badány spithamaeus breviorve, communiter unicum tantum angulum ex-

serens, hinc probabilis idem, quod in horto sub nomine *C. monogoni* mihi. Reperi ad Fussine in silvis, ad Korenicam in hortis et fruticetis, in jugo ab alpe Plissivica procedente, in Velebich sub Badány. Semina primum stylis mucronata, demum his deciduis mutica. Quod Genersich sub hoc nom. misit, non fuit *aureum*.

783. Smyrnium perfoliatum.

In monte Kobel supra Devenium, ad Pece Sz. Márton, in Banatu in silvis Versecensibus.

Araliaceae.

784. Adoxa Moschatellina.

In umbrosis subhumidis vallium Budae versus Koyácsi, in Cottu Szaladiensis.

Loranthaceae.

785. Loranthus europaeus.

In Quercubus et Tilia alba parasiticus. Ad Lak in Cottu Sümeghiensi legi e Tilia alba, in Slavonia etiam e Castanea vesca. In silva Pomasziensi observavi foliis obovatis, minus oblongis, minusque carnosis. Est gratum pabulum pecoribus.

Crassulaceae.

786. Sedum Telephium.

Inter vineas Budae, et in montibus apricis locis lapidosis, saxosis Pesthini et alibi, ubi arena dominatur, in clivis arenosis, e. c. in Cottu Szabolcsensi. In agris Scepusii, ubi Halleloja et Donnerkraut nominatur.

787. S. purpureum. S. Telephium β : purpureum.

Est distincta species ut cultura per 15 annos docuit. Radix perennis. Caulis erectus, pedalis, altiorve, teres, laevis, simplicissimus, nec nisi pro florescentia apice divisus.

Folia numerosa caulem undique obsidentia, sparsa patentissima, ovato-lanceolata, obtusiuscula, basi integerrima, in petiolum cuneiformiter angustata, caeterum dentato-serrata: dentibus inaequalibus, obtusis, utrinque glabra, laevia. Petioli semiteretes. Flores in panicula densa, plurimis corymbis composita. Calyx parvus, pallide virens, 5-fidus, laciniis acutis. Petala quinque, ovato-lanceolata, inferiore parte in formam campanulae conniventia, alba, extus linea purpurea notata, ultra medium recurvo-patentia, purpurea, acuta, plana. Stamina 10, alterna petalorum basi adfixa, his breviora; filamenta setacea, purpurea; antherae ovaes, primum purpureae, tum a polline flavae, demum nigricantes. Pistilla 5; germina ovato-lanceolata, extus convexa purpurascens, angulo interiore carinata; stylus brevis, conico subulatus, purpureus; stigma acutum album. Capsulae germinibus similes, angulo interno dehiscentes. Semina . . . Tota planta glabra, laevis. Floret Julio. *S. Telephium* ab hoc differt foliis oppositis sessilibus, dentatis, basi cordatis; panicula rara: ramis inferioribus ramulisque oppositis; colore florum, florescentia seriore (Aug.).

Habitat in rupibus Szomolnokini, in muris Kesmarkini in rupibus subalpinis et alpinis Carpati.

788. *S. punctatum* mihi.

Sic nominavi interea prioribus simile foliis punctatis, qualia tamen etiam in speciminibus praecedentibus observo, ut adeo vix distinguendum sit. Distinxit tamen etiam Maukseh, qui pro *Aizoone* habuit forsitan foliis sessilibus, utrinque punctis satis distinguendum.

789. *S. spathulatum*. Pl. rar. Hung.

In rupibus calcareis Banatus. Desunt specimina.

790. *S. saxatile*.

In Sp. Pl. Willd. annum, in en. pl. h. berol. 24 ponit.

Vil lars, Scheuchzer et Bauhinus flores luteos statuunt. Caulis non decumbens, sed ascendens, ut recte Retzius. Mihi radix videtur annua, et si recte memini, petala alba esse. In alpibus Marmarosienibus (Petrosa et Pop Ivan), in Zoliensibus (Kunstava et Gyumbér), in Liptoviensi (Kriván), in Scepsiensibus a Mauksch sub nom. *S. an atratum?* an nova species? b) a Genersich sub nom. *S. Oederi* seu *saxatilis?* missum. Neque diversum videtur, quod Mauksch sub c) indeterminatum misit.

791. *S. glaucum*. Pl. rar. Hung.

In clivis arenosis Banatus, in montibus calcareis ad Csiklovam, Mehadiam etc. in muris Szluini, in monte Tokay etc. *Sedum hispanicum* Jacq. huic simillimum est vel idem, diversum a Linneano.

792. *S. album*.

In muris et rupibus e. c. ad catarractas Motieskencs.

793. *S. acre*.

In muris, rupibus, clivis arenosis. Wolny misit specimina foliis densissime imbricatis sub? et n. 49. quod vix diversum puto.

794. *S. sexangulare*.

In monte Szántó, ad Pomász.

795. *S. Matrense* (interea) mihi.

Radix (ut videtur) annua, ramosa, fusca, flexuosa, subsesquipollicaris. Caulis subtripollicaris erectus, flexuosus a basi ramosissimus: ramis patentibus, incurvo-ascendentibus. Folia sparsa, oblonga, obtusa, quantum in sicco specimine video basi soluta et semiteretia. Flores in ramis cymam trifidam constituentibus sessiles, secundi. Calyces . . . Petala alba, lanceolata, acuminata, calyce longiore. Caulis, rami, folia, calyces et germina pubescunt pilis brevibus, patentibus, densiusculis. Habitat in Matrae montibus.

796. S. atratum?

Saltem definitio et descriptio sat bene convenit; etiam specimina Mygindi similia sunt. A Mauksch sub hoc nomine missum forsitan etiam inter specimina saxatilis rejectum.

797. Sempervivum tectorum.

Copiosum in Szitnya monte, sed forsitan *S. montanum*.

798. S. globiferum.

Saltem sub hoc nomine missum a Mauksch. Caulis pedunculique pubescentes. Folia ciliata. Calyces ciliati. Petala lineari-lanceolata, serrata, mucronata: mucrone longiusculo, caeterum planta glabra. In rupibus calcareis Scepusii. Petalorum forma itaque cum *S. hirtum* nostro convenit, sed quod Roemer misit, est diversum, et Maukschianum erit *hirtum*. Fl. initio Augusti.

799. S. hirtum.

Caule est hirsutiore quam praecedens; hic extus proquam pilosus. Caeterum aliter, quam in definitione dicitur, petalorum apices non sunt hirsuti. In rupestribus Budae, ad Diosgyör, ad Mausnia in Cottu Liptoviensi etc. An hoc forsitan *globiferum*? Rochel misit specimen e rupestribus Szulyoensibus, quod praeter caulem cum umbella pauciflora simplici e basi protulit binos pedunculos unifloros sub nom. 406. et nom. *S. hirsuti*? *S. globiferum* huic est simillimum, cui propagines non sunt globosae.

800. S. montanum.

In alpihus Marmaros (Petrosa et Pop Iván), Liptoviensibus (Gyömber et Kriván), in Scepusiensibus unde a Genersich. Legi etiam specimina caule unifloro.

801. S. sediforme.

In rupestribus ad Korenicam in Croatia.

Saxifragaceae.

802. *Saxifraga Aizoon*.

Sed folia apud nos nunquam proprie obovata (qualia nunc Willdenow in Enum. pl. hort. berol. probabilis secundum plantas cultas ponit), verum in speciminibus minoribus, in quibus breviora sunt, fere obovato-lingulata, alias semper lingulata. Caulis quandoque digitalis, alias spithameus et pedalis, nunc densius, nunc rarius pilis glanduliferis obsitus, non raro etiam glaberrimus, foliosus. Folia basi ciliata, caeterum serrata, serraturis superne tuberculo cartilagineo imposito; caulina alterna, erecta, sessilia, obovato-cuneiformia, suprema et pedunculos stipantia sublinearia, longiore parte ciliata, caeterum omnia utrinque glabra. Pedunculi jam uniflori, jam inferiores 2 — 4-flori, ut caulis jam plus minus piloso-viscosi, jam glabri. Calyces glabri semper, laciniis subciliatis. Petala punctata. Habitat in rupestribus alpinis et subalpinis Croatiae, Marmatiae, Scepusii, Liptoviae, Arvae, Cottus Zoliensis et Thurociensis. a) Caule digitali, pedunculis 3 — 4-floris in alpinis Arvensibus. b) Caule pedali simpliciter racemoso v. pedunculis 2 — 3-floris. In Plissivica et Velebich. c) Caule mediocri. α) Piloso-viscoso in plerisque alpinis, et vel unifloris, vel 2 — 3-floris pedunculis qualis in Szitnya occurrit. β) Glabro in Petrosa et alpinis Zoliensibus, etiam in Scepusio, sed pedunculis piloso-glanduliferis, quale a Genersich habeo, qui scribit se in Elencho pro *Cotyledone* habuisse. Etiam in meis speciminibus pedunculi aliquot pilis glanduliferis adpersi sunt. Etiam in valle Völkenensi sub catarracta et in alpinis Arvensibus omnino glabrum reperi.

N. B. Lapeyrouse in Flore des Pyrénées folia breviora, rotundata, verticalia et flores cymosos dicit; adeoque secundum

dum auctorem hunc, quem Persoon in Synopsi secutus est, esset *P. Cotyledon*.

803. *S. tecta* mihi (ante hac *S. farinosa*).

Caulis simplicissimus erectus; vix unquam tripollicaris, dense foliosus et glanduloso-pilosus. Folia subspathulata, integerrima, apice brevissime mucronata, radicalia in rosulam disposita, glabra, supra membrana cartilaginea alba tecta, ad marginem cartilagineam puncturis aliquot notata; caulina minora, apice glabra, caeterum piloso-glandulosa, viscida, superiora lineari-lanceolata, tota piloso-glandulosa. Racemus florum simplicissimus, 3 — 7-florus: pedunculis calycibusque densissime piloso-glandulosis, viscidisque. Willdenow hanc pro *S. mutata* declaravit, a qua vero differt: statura multo minore; foliis integerrimis (nec repandis ut Willdenow, vel serratis aut dentatis ut Jacquin et Hallerus dicunt), glabris (nec versus basin ciliato-villosis, ut Linnaeus), caule tantum apice florifero (nec racemoso, ut Willdenow in definitione dicit), Lapeyrouse folia radicalia plane basi ciliato-plumosa dicit. An est *S. calyciflora* hujus? vide Pers. Synops. In rupibus alpis Petrosae supra nives.

804. *S. hieracifolia*. Pl. rar. Hung. I. t. 18.

In alpe Arvensi Rohács, in Zoliensi Kunstava, Liptoviensibus Gyumbér et Rácskova locis humidis, et in rivulis. Conferatur cum *nivali* a qua specie differt, pro qua etiam habita a Mauksch. Misit etiam Genersich. Smith in Fl. brit. dicit hanc habitum *stellaris* habere, folia tamen magis carnosae, caule nudum apicem versus piloso-viscidum esse, et folia obovata, serrata, Linnaeus autem crenata, quae tamen in nostram non cadunt.

805. *S. androsacea*.

In alpium Scopusiensium ruderibus, glareosis e. c. sub cacumine Lomnicensi supra regionem *Pini Pumilionis*, in

alpis Petrosae rupibus supra nives, in alpibus Zoliensibus et Liptoviensibus. Plerumque caulis uniflorus, folia omnia integerrima, nonnumquam caulis biflorus, et folium unum alterumve radicale apice hinc aut utrinque incisum et sic dentatum.

806. **S. caesia.**

In alpe Chocs, et in alpibus Scepusii sub cacumine Lomnicensi supra Pinum Pumilionem ipse legi, miserunt etiam Mauksch et Genersieb.

807. **S. rigens** vel **rigida** mihi.

Caulis basi perenni multifarum divisus, in ramos 1—2-pollicares, undique patentes, foliis densissime tectos, inde prominentes cauliculos sesqui- aut bipollicares, foliosos, apice in paniculam, ramis 3—4-floris divisos, pilosos. Folia radicalia, i. e. inferiora, ramos seu caulem dense tegentia, patentissima, ac demum recurva, lingulata, obtusiuscula, margine cartilagineo crassiore integerrimo, inferiore parte ciliata, utrinque glabra, ad margines puncturis aliquot notata, rigida, perennia, caulina annua, subspathulata, piloso-glandulosa. Pedunculi calycesque dense pilosi. In rupibus calcareis umbrosis supra thermas Herculis e fissuris enascitur. Est tantum *caesia* varietas cujus mentionem facit Linnaeus ex alpibus italicis, quae notis ab hinc indicatis cum mea banatica planta omnino convenit.

808. **S. bryoides.**

Caulis plerumque uniflorus, rarius biflorus, nec plures flores vidi. In humidis arenosis summorum alpium Scepusii unde a Mauksch et Genersich. In rupibus Petrosae ipsi legimus. In definitione non bene congruit caulis nudiusculus, pauciflorus, qui est foliosus, communiter uniflorus.

809. **S. stellaris.**

Ad rivulos alpinos infra summitatem alpium Pop-Iván et

in Petrosa. Caulis ad ramificationes folia aliquot minuta gerit. Rami pilis raris glanduliferis adspersi. Folia simpliciter serrata, caulina quaedam tridentata. Glandulae et fructus eleganter rubent.

810. **S. cuneifolia.** Pl. rar. Hung. l. t. 44.

In umbrosis humidis supra Rézbánya et infra arcem Ozail Croatiae.

811. **S. oppositifolia.**

Flores in apice surculorum subsessiles, petalis purpureis. Surculi quandoque elongati, paribus foliorum distantibus, aliis brevibus, foliis densissimis, velut in *Aloë retusa*, retusis, antice perforato-tripunctatis. Sub cacumine Lomnicensi defloratam legimus, Mauksch in valle Völk inter sata et nives. Misit etiam Genersich.

812. **S. aizoides et autumnalis.**

Quae a Retzio et nunc etiam a Willdenowio conjunguntur. Folia raris patentissimis albis pilis ciliata, caeterum glabra. Caules pubescentes. Calyx glaber, patens. Petala oblonga, calyce longiora, flava, intus croceo-punctata. Caules 1—4—7-flori. Pedunculi folio instructi. Folia saepe ciliis destituta, quandoque mucronata, alias mutica, vidi etiam obsolete serrata, in alpe Petrosa. In Scepusio quoque a Genersich lecta; copiosissima in alpihus Zoliensibus locis humidis.

813. **S. rotundifolia.**

In rupe Domuglet et Pietra Kupcsegului ad thermas Herculis locis umbrosis, in silvis subalpinis Plissivicae, in via excavata ad Báb in Cottu Nitriensi inter vineas a C. Waldstein lecta.

814. **S. bulbifera.**

Caulis simplicissimus, quandoque apice in pedunculos longiusculos, 2—3-flosos divisus. In graminosis Budae, Pesthini,

ad Pece Sz. Márton. Haec secundum Floram lapp. Wahlenbergii non est *S. bulbifera* Linn.

815. *S. rivularis*?

A Genersich, ut ipse agnoscit, in Elencho suo pro *S. bulbifera* adlata. In valle Völk sub catarracta in arena, in Kriván, inque Petrosa, ubique locis humidis, ad rivulos alpinos. Est etiam caulibus 4—5-floris. Bulbilli ad basin petiolorum radicalium. Petioli, caules et pedunculi villosi. Folia, etiam caulina, palmata, rarius florale ovatum. Radix in Sp. Pl. et Enum. pl. hort. berol. huic tribuitur annua, nostrae autem ob bulbillos videtur perennis. Smith in fl. brit. perennem ponit. Wahlenberg hanc pro *S. sibirica* asserit, qui eam in Djumbir legit.

816. *S. petraea* Wulf. in Jacq. coll. I. 200. Jacq. ic. rar. I. t. 81. et Linn. Sp. Pl. huc videtur trahenda, sed caulis laxis ramosissimus ponatur et a Linneo et a Wulfenio, a Willdenow in Sp. Pl. *S. rupestris* nominata.

Habitat locis saxosis humidis ad catarractas Szluinenses et lacus Plitvicenses.

817. *S. ascendens* Wulf. in Jacq. coll. I. 197. t. 11 et 12. f. 1. 2. et All. ped. n. 1537. t. 22. f. 3. *S. petraea* Willd. Sp. Pl. ad quam citat Vahl in Act. hist. nat. Hafn. 2. 1. p. 10. A Mauksch et Genersich missa sub nom. *S. petraea*, ab utroque etiam sub nom. *S. ascendens* cum?, a Rochel sub n. 365. pro *S. tridactylite*. In alpe Käsmarkensi aliisque Scepusii a Mauksch, in monte Strassow a Rochel, a me in alpibus Zoliensibus et Liptoviensibus.

818. *S. lanceolata* mihi.

A Genersich missa cum *S. androsacea* et nota: „Majus exemplar in quibusdam differre videtur.“ Radix perennis, fibrosa. Caulis ascendens palmaris, foliis aliquot vestitus,

subpubescens, biflorus. Folia inferiora conferta, lanceolata, basi in petiolum linearem, folio longiorem angustata, integra, apiceque triloba, acutiuscula, glabra, subciliata; caulina sessilia, remota; 3 — 4-linearia, subciliata; glabra. Flos terminalis breviter pedunculatus, lateralis triplo longius pedunculatus, ex axilla folii supremi emergens. Pedunculi pubescentes, longior folio lineari angustissimo stipatus. Calyx pubescens, laciniis longioribus ipsa basi germina includente, obtusis.

819. **S. axillaris** mihi.

Radix perennis, caules ramosi; ramis dense foliatis, uti in aliis, in caespitem congestis. Folia palmato-trifida, laciniis sublinearibus (latioribus tamen, quam in *caespitosa*) obtusis, glabra, laevia, tenuiora, hinc (in siccis speciminibus) diaphana, nervis per medium laciniarum singulis, atque prope margines excurrentibus. Flores in pedunculis axillaribus, filiformibus, aphyllis, glabris, unifloris, raro bifloris, ad divisionem parvifoliorum simplicium stipatis. Calyx subrotundus, glaber, laciniis ovatis, obtusis. Adtulit Wolny e Carpato.

820. **S. muscoides?**

Sub quo nomine missa a Genersich cum *videtur*. Caulis biflorus, inferne aphyllus, superne unicum folium trifidum et aliud ad pedunculum; simplex, glaber. Folia plus minus profunde trifida, quinquefida, laciniis obtusis, glabra. Calyx glaber: lobis oblongis, obtusis. Petala videntur calycinis laciniis duplo longiora.

821. **S. caespitosa.**

Folia dense congesta, numerosissima, indivisa, palmato-3 — 5-fida, laciniis linearibus, obtusis. Caulis foliis aliquot obsitus, glandulis inferne raris aut subnullis, superne densioribus subsessilibus obsitus, 1 — 5-florus. Calyx similiter glandulosus, laciniis obtusis. Petala laciniis calycinis prope

duplo-longiora, sublinearia, obtusa, levissime emarginata. Variat foliis glabris et glanduloso-ciliatis, plerisque trifidis, in pinguiori solo multi-, etiam in caule, 5-fidis; surculis quandoque ad $1\frac{1}{2}$ pollicem elongatis, alias brevissimis; foliis horum saepe plerisque indivisis etc. Habitat in alpinis Zolliensibus, Liptoviensibus et Scepusiensibus.

β . Non differt essentialiter a praecedente. Caulis subaphyllus, inferne glaber, superne nimis glandulosus. In Petrosa, Kriván, Kunstava, Gyumbér. Host et Persoon etiam cum priore conjungunt. Willdenow tamen in En. hort. berol. *S. muscoide* distinguit, potissimum petalis vix calyce longioribus, ergo nostra haec est varietas caespitosa, et distincta a *S. muscoide*, (*S. caespitosa* est sec. Wahlenberg glutinoso-pubescent, qui se in Carpatho non reperisse dicit veram *S. hypnoidem*, quacum hanc forte confudi.) *S. hypnoides* a Wahlenberg in Gyumbér lecta, a me forte pro *S. caespitosa* habita.

822. *S. paradoxa* mihi.

Radix perennis, densum caulium cespitem nutriens. Caulis erectiusculi, inferne foliis emortuis nigro-fuscis obsessi, $1 - 1\frac{1}{2}$ -pollicares, glabri. Folia caulium sterilium indivisa, linearia, sessilia, floriferorum palmato-trifida: laciniis linearibus, obtusis, basi in petiolum linearem, foliis simplicibus analogum, angustata, hinc, si petiolus pro basi foliorum sumeretur, etiam sessilia, glabra, juniora tamen glandulis remotis, ut in *caespitosa* obsita. Caulis florifer digitalis, palmaris, 2 — 4-florus, inferiore parte glaber, aphyllus, superiore ad ortum pedunculorum singulis foliis, inferiore saepe trifido, reliquis aut omnibus simplicibus instructus, filiformis. Pedunculi glanduloso-scabriusculi. Calyx inferiore parte glandulis obsitus, laciniis glabris, laevibus, obtusis. Petala laciniis calycinis fere duplo longiora, elliptica, obtusa (quantum

video, non emarginata), tristriata. Pro *S. hypnoide* e sententia Hoppe misit Genersich, sed haec esse nequit, utpote cui, secundum Smith in Fl. brit. II. p. 457, stolones sunt procumbentes, pilosae, caulis paniculatus, folia alterna, subciliata, acuta, laciniis inferiorum semitrifidorum divaricatis, caulina indivisa; panicula laxa, calycis lacinae lanceolatae, acutae. Forsitan tantum varietas *caespitosae*, cujus structuram habet.

823. *S. perdurans* mihi.

Radix perennis, fusca, inferne in fibras divisa, quales etiam caules demittunt. Caules inferiore parte perennantes, in cauliculos, fasciculum seu rosulam foliorum gerentes divisi, e quorum medio erigitur caulis florifer, sesqui-, bipollicaris, filiformis, pubescens, communiter biflorus, raro bifidus, ramorum utroque bifloro, in medio v. supra medium instructus folio unico, trifido, ad ortum pedunculi altero, simili, plerumque in pedunculo terminali tertio, simplici. Folia 5-fido-palmata, raro quaequam trifida; laciniis obtusis inferne cuneiformiter in petiolum latum amplexicaulem continuata, pubescentia. Pedunculi pubescentes, lateralis brevis, terminalis duplo longior. Calyx semiinferus, pubescens, laciniis ovatis, obtusis. Petala laciniis calycinis plus quam duplo longiora, elliptica, obtusa, alba. Caulis integer, licet siccus cum foliis et fructibus. Pedunculus floris terminalis sub florescentia brevis demum exrescit. Folia basi saepe purpurascentia. Misit Mauksch e Scepusio, ubi in frigidis alpium.

824. *S. cymosa*. Pl. rar. Hung. I. t. 88.

Non differt a *S. pedemontana* Allionii, uti specimine, quod Willdenow a Bellardi accepit et mecum benevole communicavit, video, licet Persoon, secundum specimen a Balbisio acceptum, diversam enunciat in Synopsi sua plantarum. Crescit

in summis rupibus alpis Petrosae, communiter saxis prominentibus tectae.

825. Chrysoplenium alternifolium.

In umbrosis humidis in Matra ad acidulas Parádienses, ad speluncam pone Rézbányam, in Cotta Hevesiensi ad Fort-Contrast, in Syrmio ad Bessenova, supra acidulas Neo-Lublovienses, alibique in Scepusio, in silvis Bakony non procul Papa. Folia non sunt duplicato-, verum simpliciter crenata (contra Smith in fl. britanica), inferiora pilis raris adpersa, superiora glabra.

826. C. oppositifolium.

Inter *Pinum Pumilionem* in summitate alpis Petrosae (C. Marmaros) ascendit, et in rupibus supra nivem.

Ribesiaceae.

827. Ribes rubrum.

In silvis Scepusii et Liptoviae, etiam in Marmarosiensibus, ut mihi relatum est.

Croatica varietas: quae pro *R. vitifolio* missa, diff.: caule ramisque crassioribus, cortice obscuriore; foliis brevius petiolatis, magis pubescentibus; petiolis copiose glanduliferis; racemis brevioribus; pedunculis, pedicellis germinibusque glanduliferis.

828. R. multiflorum.

In silva subalpina montis Mali Uray sub alpe Visszoecicza.

829. R. ciliatum mihi.

Pedunculi pubescentes. Bracteae pedicellis longiores. Germina glabra. Folia utrinque pilis raris adpersa, eademque et petioli, bracteae, calyces, petalaeque ciliata. Pro *R. rubro* missum a Mauksch.

830. *R. carpathicum* mihi.

Frutex altus, nonnumquam orgyam excedens, caudice non raro digitum crassitie superante, cortice nigricante. Folia forma *R. rubri*, sed profundius virentia, juniora supra obscure rubentia, subtus ut in *R. rubro*, pallidiora, nitidula, supra pilis brevibus raris adspersa, subtus glabra, nervis venisque pilis adspersis. Petioli semiteretes, supra planiusculi, pilis adspersi, versus basin longioribus ciliati. Flores in racemis pendulis: pedunculis pubescentibus; bracteis, ut videtur truncatis, apice pubescentibus. Lacinae calycis notante Mauksch, pilosae. Fructus rubri, omnium acidissimi. Pili partium albi, diaphani, nitidi. Differt a *R. ciliato* bracteis pedunculo suo brevioribus. Habitatio in rupibus alpium Scepusiensium et Liptoviensium. Slavis a sapore fructuum acidissimo dicitur *Quasznicza*. (Dies ist Rochel's *R. acerimum*.) Pili petiolorum primum, ut in *R. rubro*, glanduliferi. *R. rubrum R. carpathico* est simillimum sed folia supra glabriuscula, subtus ubique tenuiore, brevioraque pube.

831. *R. petraeum*.

Flores campanulati, neque planiusculi. In Scepusio ad pedem montis Kralova Hola (Rochel.).

832. *R. alpinum*.

Habitat in silvis subalpinis Scepusiensibus, Liptoviensibus.

833. *R. lucidum* mihi.

Frutex ramosus, erectus. Rami crassiores quam in *R. alpino*, caeterum similes, sed fusci et magis erecti. Folia e basi ovata parum dilatata, longiora quam lata, in femina oblonga, apice triloba, lobis dentatis, infra lobos marginibus obsolete serratis, utrinque glabra, subtus trinervato-venosa, lucida. Petioli semiteretes, supra canaliculati, marginibus

pilis raris longiusculis ciliati. Racemi plerique laterales, pauci axillares, erecti: pedunculis pedicellisque glandulis minutis obsitis. Bracteae lanceolatae, floribus breviores aut aequales, membranaceae, viridi-flavescenti-albae, lanceolatae, acutae, ad lentem marginibus glanduloso-ciliatae. Pedicelli infra medium articulati. Calyx pallide viridescenti-flavescens: laciniis subrotundo-ovatis, concavis, obtusis. Petala ut in *R. alpino*, sed magis rotundata. Stamina e fauce calycis vix prominula: filam. brevissimis, setaceis: antheris subrotundis pallide flavis. Germen in masculis imperfectum: stylus longitudine staminum. In floribus foemineis germen ovatum; stylus brevissimus. Baccae in racemo pendulo, 5—7-florae; serius maturescentes quam in *R. alpino*.

E Cottu Liptoviensi adlatum. Floret cum *R. alpino* sub medium Aprilis. An hoc *R. alpinum* Smithii, qui folia subtus lucida dicit?

834. *R. nigrum*.

Foliis brevissimis pilis pubescentia, triloba aut sub-5-loba, cordata, utrinque, magis autem subtus glandulis flavis, in foveolas altera pagina in tubercula prominulas demersis obsita. Petioli pilosi, glandulis similibus adpersi. Pedunculi, pedicelli, calyces, petala, germinaque villosa. Habitat in silvis et fruticetis Scepusii atque Liptoviae, locis subalpestribus, subhumidis, pinguisculis. Floret Majo. Flores non tam hirsuti, quam glandulosi dicendi notante Mauksch. Ad Wagum *R. nigrum* observavit Rochel. Slavis dicitur *Szmradvavicze*. Habitat in Cottu Scepusiensi et Liptoviensi (e. c. non procul Hradek).

835. *R. Grossularia*.

In silvis montis Szántó, Croatiae, Slavoniae, Matrae. Calycis lacinae extus dorso virides, marginibus intus obscure

purpureae; petala alba, ovata, germina hispida setis glanduliferis; petioli pilosi interspersis glanduliferis longioribus. Croatica varietas folia hirsutiora, ab hirsutie canescentia aculeos paucos habet, ceterum omnino conveniens.

836. R. vitifolium v. opulifolium.

Frutex 4 — 7-pedalis: trunco pollicem saepe crassitie aequante; cortice seu epidermide per seriem secedente, comparente nova grisea, in truncis saepe fusca. Folia alterna, longe petiolata, in hoc genere forte maxima, cordato-5-loba, lobis acutis, lateralibus saepe lobulo minore acutis, grosse serratis, dentibus mucronatis, simplicibus duplicatisque, ante evolutionem plicata, supra sulcata, pilis rarioribus brevioribus adpersa, subtus nervoso-venosa, paulo pallidiora, dense pilosa, pilis erectis . . . libus. Petioli teretes, tantum basi canaliculati, brevibus curvisque pilis villosi, setis longis pubescentibus basi ciliati, paucisque per reliquam longitudinem adpersi. Stip. 0. Flores 60 — 80 in racemis omnium longissimis, tres pollices saepe aequantibus, nonnunquam superantibus, pendulis, longius pedunculatis, densiusculis. Pedunculus communis teres, ad 1 1/2 pollicem e floribus nudus, villosus, ex eadem gemma laterali cum aliquot foliis minoribus prodiens. Gemmae oblongo-ovatae, squamis acutiusculis, fusciscenti-nigris, denso brevique villo ciliatis, interioribus extus pubescentibus. Pedicelli seu pedunculi proprii breves, patentes, dein subrecurvi, omnino glabri, nitidi. Bractea oblongae, obtusae, saepe apice subdentatae, pedicellis breviores, inferiores pilis brevissimis tenuissimis dense obsitae, superiores glabrae. Calyx glaber viridis, ante explicationem nonnihil purpureo-tinctus; lobis reflexis, obovatis, obtusis, apice denticulatis. Petala calycis laciniis plus quam triplo breviora, mox recurva, fere revoluta, obcordata, pallide viridia. Nectaria: glandulae 5, turgidae, virides, intra petala. Sta-

mina erecta, calycis laciniis breviora: filamentis subulatis, viridescenti-albis; antheris didymis, pallide ochroleucis. Germen inferum ad lentem subangulatum, glabrum, nitidum. Stylus erectus; stamina aequans, viridis, ad medium vel ultra bifidus. Stigmata obtusa. Baccae Habitat in saxoso vertice montis Mali — Uraly infra alpem. Floret sub initium Maji; 14 diebus post *R. rubrum*. Ramuli horni virides pubescunt. Folia virosam habent odorem, nec amoenus est floribus. „Sie haben diese Art als *R. spicatum* Smith mit Unrecht vorgetragen; wahrscheinlich haben Sie das Exemplar verkehrt angesehen und waren daher der Meinung, dass es das *R. spicatum* sei; aber die Blüthen sind weder in Aehren, noch in Trauben aufrecht.“ Ad Schultes in lit.

Ranunculaceae.

837. *Myosurus minimus*.

Stamina 10. Petala in systemate veg. nectaria dicuntur. In salsis et paludibus exsiccatis humidisque locis Cumaniae majoris atque Comitatus Bihariensis frequens, copiosissimus inter Baránd et Berettyo-Ujfalú. Etiam e Scepusio misit Genersich admodum pusillum.

838. *Ranunculus protensus* mihi.

Medius inter *R. reptantem* et *Flammulam*, ab illo differt: foliis latioribus, inferioribus lanato-lanceolatis, seminibus rostratis (quae in *R. reptante* e Lapponia per Frölich obtento, rostro carent) etc., a posteriore vero caulibus elongatis, ramosissimis; foliis angustioribus, linearibus, infimis lato-lanceolatis (nec ovatis). Ex itinere II. Marmarosiensi.

839. *R. cassubicus*.

Differt a *R. auricoma*: 1) statura et omnibus partibus majoribus; 2) florescentia 2 hebdomadis priore; 3) floribus

omnibus corollatis; 4) foliorum radicalium sinu angusto, crenisque obtusioribus velut truncatis; 5) foliolis caulinis dentatis; 6) caule foliisque pubescentibus; 7) pedunculis oppositifoliis (nec axillaribus): nempe ad hiatum folii prodeuntibus.

840. R. complicatus v. latilobus.

Radix perennis. Caulis semipedalis aut palma paulo altior, simplicissimus, uniflorus, aut in 2 — 3 ramos divisus: erectus, teres, culmum tritici crassitie aequans aut paulo tenuior, a pilis decumbentibus canescens. Folia radicalia petiolata subtus pilosa, pallidiora, ciliata, profunde tripartita: lobis latissimis, hinc sibi invicem incumbentibus, folium petiolatum, mentientibus, inciso-lobatis, lobulis inciso-dentatis: dentibus inaequalibus, apice subcalloso pallidiore obtusiusculo terminatis. Petioli teretiusculi, supra canaliculati, pilis adpersi, basi in vaginam albidam, membranaceam, nudam, striatam, subsuleatam, inferne extus villosam dilatati. Caulinum, si caulis simplex est, unicum, secus tot, quot divisiones, quas stipant, ternata: foliolis in casu caulis divisi in folio infimo lanceolatis, serratis, aut ovato-lanceolatis: in superioribus foliis autem linearibus, integerrimis, sessilibus, supra pariter striatis, subtus subnervosis, omnibus supra nudis, subtus pilosis. Flores 1—3, terminales, erecti, pedunculati: pedunculis $\frac{1}{2}$ — $1\frac{1}{2}$ -pollicaribus, firmis, teretibus, canescentibus a pilis decumbentibus. Calyx petalis applicatus: foliolis oblongis, concavis, obtusis, dorso viridibus hirsutis, margine apiceque flavis, nudis, membranaceis. Corolla majuscula, calyce duplo amplior, flava, supra lucida: petalis emarginatis, subrotundo-obcordatis, versus unguem brevissimum obscurius flavis absque nitore, striatis. Fovea nectarifera unguis tecta squama brevi emarginata. Stamina plurima clavata: filamentis superne incrassatis in antheram oblongam, obtusam, intus sulco exaratam. Pistilla plurima, in capitulum

subrotundum conferta. Hic Ranunculus accedit ad *R. pyrenaeum* Gouan = *R. Gouani* Willd. Sp. Pl.

841. *R. montanus.*

Hunc misit vivum Rochel sub nom. *R. pyrenaei*; sed ola folii caulini erant integerrima. Altero anno conveniat cum praecedente, qui videtur esse *R. Gouani* foliolis quibusdam dentatis. Mauksch misit *R. montanum* sub nom. *R. nivalis*, quem errorem dein in literis correxit dicens: *R. nivalem* esse plantam lapponicam, nostratem pro hoc habitum esse *R. montanum*.

842. *R. rutaefolius.*

„Er senkt den pedunculus mit den halbgereiften Saamen zur Erde, wird da verschlemmt und pflanzt sich wahrscheinlich nur auf diese Art fort.“ Mauksch in lit. In alpinis Scepusii.

843. *Trollius europaeus.*

Habitat in udis alpinis et subalpinis Cottus Scepusiensis, Liptoviensis, Marmarosiensis, ubi in valle ultra Borsam versus angustias montium, quas Sztrimptura nominant Valachi, copiose ad altitudinem 3—4 pedum crescens. Caulibus unifloris; flore minore; profundius flavo colore: nimirum aureo; petalis exterioribus interiora aequantibus, nec multo minoribus. In pratis humidis Cottus Szabolesensis et Sümeghiensis.

844. *Helleborus hyemalis.*

In Cottu Veszprimensi reperit Horhi.

845. *H. atrorubens. H. vaginatus.*

Habitat in silvaticis et fruticetis montanae Croatiae e. c. ad Korenicam.

846. *H. odorus.*

Videtur cum *H. viridi* Jacq. Fl. aust. II. t. 106. convenire; sed a *H. viridi* L. saltem illo, quem in Sp. Pl.

editione prima caule multifloro folioso foliis digitatis definiverat, quemque in Houttuyni Syst. nat. descriptum reperio, diversum puto. Schrader in litt. notat, *H. odorum* 1—2 hebdomadis prius florere (Martio); flores majores odoros habere; petiolos ei duplo crassiores, superne uti et foliola subtus atque pedunculos pubescere pilis constantibus; folia majora, inodora, utrinque maxime supra, lucida esse et hiemem perdurare viridia. *H. viridis* flores inodoros esse, folia radicalia citius evolvi, subtus parum nitere, supra opaca esse, jam media aestate perire, caetera fere instar Stramonii. Habitat in silvis Banatus, Sirmii, Com. Baranyensis et Tolnensis.

847. *Isopyrum thalictroides*. *Ranunculus praeco* II. *Thalictri folio*. Clus. hist. 233.

Habitat in silvis budensibus, reliquisque montium mediterraneorum usque Strigonium et sine dubio etiam alibi. Inter vepres C. Castriferei Clus.

848. *Delphinium carpaticum*. Pl. rar. Hung. III. t. 246.

Willdenow pro *D. urceolato* habuit sed perperam. Mauksch misit e Scepusio scribens, sibi dubium esse. Huic forte pro *intermedio* declaravi. Misit etiam Genersich sub nomine *D. intermedii* e Scepusio. — *β. hirsutum*. Varietas haec, quae sub rupe Choes alpis limitanae inter Liptoviam et Arvam occurrit, quamque etiam ad pedes alpium carpaticarum legit Rochel non potest esse *D. hirsutum* Rothii aut Persoonii; folia enim non sunt tripartita, laciniis trifidis linearibus, nec flores duplo minores sunt, quam *D. elato*. Ergo errant Wolny et Rochel, pro *D. hirsuto*. Pers. stirpem hanc nostram habentes. Specimen tamen a Rochel missum potest esse distinctum a *D. carpatico* nostro: caule spithama paulum altiore; foliis ciliatis, caeterum glabrinseculis, nervis subpubescentibus; profunde tripartitis lobis bis trifidis.

849. **D. fissum.** Pl. rar. Hung. l. t. 81.

M. a B. in Flor. taur.-cauc. II. 13. ad *D. suum hybridum* quaerit: An distinctum *D. hybridum* Gouan ill.? et *D. fissum* W. K. Nostrum utique distinctum: caule subduplo altiore, foliis digitato-multipartitis (nec digitato-tripartitis); bracteis sub flore oppositis (nec alternis); nectarii galea acuminata (nec truncato-emarginata). Wolny misit specimen inspiciendum e Syrmio.

850. **Aconitum Lycoctonum.**

In silvis Budae, montium Velebich. Misit etiam Wolny sub n. 62. e Syrmio!

851. **A. Anthora.**

In silvis Budae, in Saskö, monte Tarján aliisque Matrae, in Nagyszál ad Vacium, in monte Tokay.

852. **A. septemtrionale.**

In vallibus vinearum ad Nagy Bányam inter frutices; ad margines silvarum Scepusii, unde a Mauksch pro *A. Cammaro* missum, in alpe Petrosa Marmarosiensi non procul nive, latere prorupto, in summitate montis Simion pone Oravicam, in Nagyhegy ad Munkács. Pro *A. Cammaro* misit etiam Wolny, pro *A. Napello* Genersich.

853. **A. Cammarum. A. bulbiferum** Roch.

In palude Lucskiensi, caule est tenui, debili.

854. **Actaea spicata.**

In umbrosis silvarum Budae, Matrae etc. In umbrosis subalpinis Scepusii Mauksch, Szontag. In alpe Bádány.

855. **Paeonia officinalis.**

Semel Budae in silva montis tiliarum reperta; copiosa in fruticetis Cottis Baranyensis inter Hosszúhetény et Pécsvárad visa.

856. **P. corallina.**

In valle Vilena dragra Croatiae ad Korenicam.

Berberideae.

857. *Berberis vulgaris*.

Diversa ab illa Linnéi.

α. Nitida seu exstipulata. Rami angulati, cortice fusciscenti-cinereo. Spinae gemmas floriferas stipantes pleraeque ternatae, fusco-flavescentes, horizontaliter patentés, ad 8—10 lineas longae, supremae simplices, breviores. Folia obovato-lanceolata, basi cuneiformiter in petiolum angustata, serrata, serraturis setaceo-mucronatis margine setisque diaphanis, utrinque nitida, diaphane venosa, apice mucronata, quandoque obtusa, nonnunquam emarginata. Petioli exstipulati. Racemi florum subtripollicares, multiflori (16—20-flori). Pedicelli sub flore in nodulum incrassati, ad ortum bractea stipati, inferiores una alterave etiam hinc inde obsiti, imo una alterave proxime ad flores accedente, calyci contigua et phyllum minus mentiente. Bracteae subulatae, acutae, plerumque rubescentes. Petala inaequaliter denticulata, quodammodo suberosa. Filamenta subtruncata, angulis utrinque antheram gerentia, sub apice dilatata, hac parte utrinque humorem exsudentia, quo pollen excipit (quem in finem?). Flores infimi primi aperiuntur, tum reliqui successive ad apicem usque. Nectaria sunt glandulae 2 ovales, aurantiae, basi singuli petali adnatae, humorem dulcem secernentes. Folia e gemmis floriferis quidem exstipulata, sed e ramiferis similiter utque sequens, licet paulo brevius stipulati. Folia infima quidem magis oblonga, tamen etiam, ut in sequente observata.

β. *B. Opaca* v. *stipulata* mihi.

Differt a praecedente: 1) colore ramorum obscuriore; 2) spinis duplo triplove brevioribus, paucioribus; 3) foliis obovatis, opacis (nec nitidis), flavescenti-viridibus, saepe in

juventute rubore quopiam suffusis (nec profunde viridibus); 4) petiolis sub articulatione utrinque stipatis stipula setacea, nonnunquam hinc denticulo instructa; 5) racemis duplo brevioribus, subsesquipollicaribus, ante anthesin subcorymbosis, 7—10-floris; 6) bracteis singulis ad basin singuli pedicelli, nec una alterave per pedicellos sparsa et ad calycem accedente; 7) florescentia maturiore; 8) flore terminali primo. Quandoque serius prodit racemus longior, floribus magis distantibus, nec tamen pluribus; bractea una alterave per pedicellos inferiores sparsa. Antherae primum filamento sub apice truncato utrinque adhaerent, dein solutae angulis truncati filamenti insident. Stigma orbiculatum, medio perforatum, margine revolutum. In sepibus vinearum, fruticetis, in clivis etiam arenosis.

Papaveraceae.

858. *Papaver hybridum*.

In agris arenosis infra Cegléd.

859. *P. Argemone*.

A Mauksch e Scepusio.

860. *P. alpinum*.

Genersich in alpinibus Tatrae.

861. *P. Rhoas*.

Deest specimen. Floribus albis in Liptovia reperit Oper-schall.

862. *P. dubium*.

α. Floribus albis, *β.* rubris. In collibus agris, aggeribus, vineis.

863. *Glaucium luteum*.

In Litorali ad mare, Host.

864. *G. phoeniceum* Smith. *Chelidonium corniculatum* L.

In aggeribus, arvis.

865. *Corydalis bulbosa*.

In silvis, fruticetis, sepibus in Hungaria, Croatia, Slavonia.

866. *C. albiflora* mihi. *Fumaria albiflora* mihi.

Bulbus solidus (?) depressus, fuscus, nuce juglandis major, proprie est tuber. Caulis solitarius (quandoque bini ternive), erectus, cum racemo spithamaeus, succulentus, nitidus, compressus, striatus, simplicissimus. Folia caulina bina, alterna, petiolata, subternata; irregulariter nempe biternata: foliolis petiolatis, binis lateralibus alternis: pinnis mediis trifidis, lateralibus bifidis: lobo laterali non raro discreto; lobo medio trilobo, lateralibus bilobis: lobulis oblongis, obtusis, apice crassiusculo subpurpurascente terminatis, diaphane striatis, subtus cano-glauciscentibus. Petioli subtus convexi, supra planiusculi: petioluli supra subcauliculati. Racemus terminalis, solitarius, simplex, erectus, 2—3-polliaris, 10—20-florus, densus. Pedunculus communis tertiusculus, saepe tamen altero latere planiusculus, obscure rubescens. Bractee elliptico-ovatae, obtusae, diaphanae, striatae, integerrimae, viridi-rubroque lividae, subtus cano-glauciscentes, interiores floribus aequales aut paulo longiores. Pedunculi breves, purpurascens, versus florem nonnihil incrassati. Calyx diphyllus, minutus; foliolis bilobis: lobis saepe apice bidentatis, violaceis, nonnumquam altero candido. Corollae albae, pleraeque obliquae: labio inferiore latiore, sublongiore, basi convexe inflata strumosa, superiore medio margine utrinque sinu impresso, basi in cornu crassum compressum deflexo-recurvum, apice plerumque emarginato ad pedunculum applicato, computata curvatura eodem paulo longius terminato; utroque apice bilobo sinu obtuso, sub apicis emarginatione fornicato, fornice extus convexo. Alae apice connexae, marginibus superiore parte conniventes, utrinque

margine prominente instructae, convexa parte tricarinatae, carina media eminentiore, apice vix sensibilibiter emarginatae cum brevissimo obtusoque mucrone, sub apice intus macula violacea notatae; caeterum albae, margine superiore versus unguem protuberantia instructae. Genitalia ut in *F. bulbosa*; nectarium tamen seu glandula a basi filamentorum in cornu elongata magis recurvata. Differt a *C. bulbosa*: tubere majore; basi labii inferioris rotundata (nec truncata); cornu deflexo, recurvo, dempta curvatura vis petalis longiore, apice emarginato, prope pedunculum utrinque impresso (nec pedunculis duplo longiore, versus finem supra lineam horizontalem elevato, tereti, lateribus recta nequaquam impresso, apice tantum recurvo, compresso, obtuso, integerrimo) fornicibus petalorum superioris et inferioris convexis (nec carinatis). In reliquis (dempto colore florum) omnino utraeque conveniunt: caules certe, folia, petioli, foliola, lobi, bractee etc. similima; etiam emarginatio petalorum superioris et inferioris eadem, et alae similiter tricarinatae; tempus florendi idem: finis Martii, init. Apr. Datur etiam varietas *C. bulbosae* floribus albis, odoris, cornu elongato, horizontali, recto; apice tantum incurvo; basi labii inferioris oblique truncata, impressa; foliis alternis; bulbo etiam cavo, magno.

867. *C. fabacea*?

Non dubitarem, nisi deesset rudimentum folii, quod stipulam dicit Marschall et *C. fabaceae* competere notat. Lobi foliorum breviores obtusiores, quam in reliquis nostris. E Liptovia.

868. *C. angustifolia* mihi. *Fumaria angustifolia* M. a B. Fl. taur. - cauc. II. 146. n. 1371.

Habitat in silvis et fruticetis Budae.

869. *C. saxatilis* mihi.

C. capnoidi, magis vero *C. luteae* similis, a qua differt

caulibus acute pentagonis: angulis eminentibus (nec subcompressis, quadrangulis, angulis binis obsoletis); petiolis acute triangulis, inferioribus supra sulcatis; superioribus planis (nec angulis obtusiusculis, lateribus convexiusculis); foliolis obtusis, cuneatis, acutiusculis (nec obovatis, obtusis cum mucrone); corollis albis, anteriore parte . . . et marginibus labii superioris flavescens (nec corollis totis flavis); labio utroque corollae mucronato, mucrone recurvo; siliquis compresso-tetragonis. Fl. Majo et Junio; Julio et Augusto iterum. Habitat in rupibus calc. Croatiae e. c. ad viam Carolinam ultra Ravu Gora a Merkopál versus Flumen, ad Plecha, Gospič, infra alpem Badány.

870. *C. capnoides*.

E Scepusio misit Mauksch notans: Bei dem rothensteiner Hochofen ad limites Scepusii. Etiam a Rochel missa.

871. *Fumaria prehensilis* mihi. Prius *F. denticulata*; *F. calycina*, *F. capreolata*.

Differt a *F. officinali*: florescentia praecociore (Aprili); caulibus erectis; petiolis scandentibus; calycinis foliolis marginibus dentatis. Radix annua, simplex, radículas fibrosas edens, palmaris, spithamaea, teres, pallide fusca, in solo fertili longior, crassior, ramosa. Caulis solitarius, erectiusculus, spithamaeus, pentagonus: angulis nonnihil prominentibus, lateribus planis, inferne indivisus, superne ramosus; in solo fertili plures ex eadem radice, sesquipedales, longioresve, ramosissimi, declinati, demum decumbentes. Folia alterna, inferiora petiolata, subtripinnata; pinnis pinnulisque alternis, petiolatis, profunde partitis; laciniis lineari-lanceolatis, brevissimo mucrone terminatis. Petioli triquetri, angulis marginalibus carinalique in angulos caulis decurrentibus, partiales divaricati, cirrhosi. Petioli aliis vegetabilibus circumvoluti. Flores in racemis sesqui- aut bipollicaribus, oppositi-

foliis, erectis: pedunculo communi angulato, pedicellis teretibus, patulis, flore brevioribus, superne nonnihil incrassatis; bracteis singulos pedicellos stipantibus eisdem aequantibus, in fructu brevioribus, albo-membranaceis, apice purpureis, mucronatis. Calyx diphyllus, major quam in aliis nostratibus, albo-membranaceus; foliolis ovatis, denticulatis, mucronatis, mucrone purpureo, caducis. Corolla oblonga, purpurea, 4-petala: petalum superius (vexillum) spathulatum: limbo seu parte antica latiore, ovato, lateribus subreflexis, atrosanguineis, carina viridi, nequaquam emarginato, verum potius brevissime obtuseque mucronato; postice dilatatum et productum in cornu breve, obtusum, incanum. Petalum inferius (carina) angustius et paulo brevius superiore, cochleariforme, inferiore parte lineari-canaliculata, basi nonnihil dilatata. Calcar pedunculo contiguum, extimum ovato-subrotundum, concavum, totum pallidius purpureum, carina limbi viridescenti. Petala duo intermedia (alae) opposita, inferiore parte alba, superiore atrosanguinea, dilatata, ibidemque connata in tegmen antherarum tetragonum, acutiusculum. Stamina: filamenta 2 membranacea, alba, inferne dilatata; antherae ternae in singulo filamento, flavae. Germen subrotundum, viride; stylus filiformis, subdeclinatus, nonnihil incurvus, albidus. Stigma crassius, compressum, viridescens. Fructus subrotundus, subemarginatus cum prominulo puncto. Tota planta subcanescens, glabra. Fl. initio Aprilis. Differt a *F. officinali*: caule duplo triplove longiore, inferne indiviso: petiolis contortis, partialibus divaricatis; racemis duplo fere longioribus; floribus pluribus, majoribus; calycis foliolis triplo majoribus denticulatis apice purpureis; bracteis pedunculo fructifero brevioribus; fructibus emarginatis; herba minus glauca, florescentia priore. Convenit autem cum *F. caprolata* Smithii, quae vero Junio — Septembri floret.

Cruciferae.

873. *Turritis saxatilis*.

A *T. hirsuta* differt: 1) statura prope duplo minore; 2) caule simplicissimo; 3) foliis radicalibus obovato-cuneiformibus, in planta culta saepe dentato-lyratis, canescentibus, nec profunde viridibus nitidis, foliis caulinis etiam superioribus basi emarginatis, subsagittatis; 4) racemo fructus duplo brevior; 5) floribus majoribus: limbo petalorum patulo; 6) siliquis planis erectis (nec demum nutantibus subquadrangulis); 7) florescentia 14 diebus priore, nempe ab initio Maji. Petala in culta planta non raro emarginata; setae foliorum in marginibus etiam 3 — 4-fidae, in superficie stellatae.

874. *T. praecox* mihi.

Radix annua, subsesquipollicaris, alba, superne simplex, inferiore parte paucos ramos seta vix crassiores edens. Caulis solitarius, erectus, usque ad flores spithamaeus, subangulatus. Folia dentata, apice basi que integerrima: radicalia in orbem conferta, plana, infima obovato-cuneiformia, in petiolum latum angustata seu subspathulata, obtusa, proxime contigua sessilia, oblonga; caulina erecto-oblonga, basi subhastata amplexicaulia omnia obtusiuscula, supra punctis elevatis, e quibus pili oriuntur, convexa, lateribus apiceque recurvis. Dentes obtusiusculi. Racemi florum caulem ramosque terminantes, successive elongandi: pedunculis pedicellisque glabris. Calyx glaber, erectus: phyllis linearibus, obtusis, apice rubescenti-nigris, superiore parte ab se invicem dehiscentibus. Corolla candida, calyce duplo longior: petalis erectis; integerrimis subemarginatisque, cuneiformiter angustatis, inferiore parte subflavescentibus. Stamina calyce vix longiora: filamentis setaceis, albis; antheris ovatis, aequalibus flavis. Pistillum staminibus primum paulo brevius. Germen

lineare. Stigma obtusum. Siliqua Herba nonnihil canescit a pilis simplicibus bi—trifurcatisque patulis, caulem foliaque utrinque tegentibus, non stellatis. Copiosa est in graminosis Pesthini, ubi ab initio Apr. fl. in elivis arenosis frequens. Videtur itaque satis diversa a *T. hirsuta*: florescentia fere 1½ menses praecociore; radice annua; statura fere duplo minore; foliis canescentibus, radicalibus obovato-cuneiformibus, omnibus amplexicaulibus basi sagittatis. Ill. M. a Bieb. quidem *T. hirsutam* ♂ vel ♂ ponit, apud nos vero haec semper biennis est. An ergo nostram hanc cum *T. hirsuta* conjunxit? Fl. taur.-cauc. II. 127. n. 1324.

875. T. ciliata.

Haec, notante Wahlenberg et monente Mauksch, est illa, quam hic pro *T. hirsuta* misit.

876. Cardamine trifolia.

Ad Lucski, et in Croatiae silvis montanis subalpinis.

877. C. humilis mihi.

Caulis vix palmaris, simplicissimus, aphyllus, aut unicum ramum foliumque unum alterumve proferens. Folia radicalia numerosa, prima non raro ternata aut quinato-pinnata, foliolis subrotundis, subintegerrimis, extimo majore, subdentato, subreniformi; reliqua pinnata; foliolis 5—novenis, minus rotundatis, plus minus angulatis, extimo cordato-reniformi; inferiorum circum caulem natorum foliorum foliolis cuneiformibus, 3—5-dentatis, minoribus, caulinarum inferiorum profunde bi—tridentatis seu subtrifidis; superiorum, linearibus, integerrimis. Stipulae nullae. Calyces erecti, fusciscentes: phyllis linearibus. Petala calyce longiora, obtusa, subcuneiformia, alba. Stamina 6, calyce paulo longiora; anth. flavis. Siliquae erectae, subcompressae, subtorulosae. Sapor herbae subfatuus. In horto descripta, nescio unde allata.

878. Dentaria glandulifera.

In alpe Rácskova et Ochnisstensi reperit Rochel. Auf der Ohnisste unweit Hradek fand sie Rochel.

879. Alyssum calycinum.

In aggeribus, arvis, versuris agrorum.

880. A. micropetalum mihi.

Radix annua, simplex, $1\frac{1}{2}$ — 2-pollicaris, latere radículas albas fibrosas edens, sordide albens. Caules in solo sterili simplicissimi, erecti, aut basi curvati, digitales, alias basi divisi in plures ascendentes, palmares aut spithamaeos, apice ramosos, teretes, a tuberculis minimis scabros, setulis seu pilis brevissimis appressis, nonnisi per lentem discernendis canos, basi praeterea obscure purpurascens. Folia integerrima, obtusiuscula, utrinque, sed magis subtus a tuberculis minimis scabra, canescentia a setulis brevissimis, subtus stellatis, supra antrorsum versis, inferiora sub florescentia successive decidua, obovata, in petiolum angustata, subspatulata, superiora versus successive spatulato-lanceolata, basi tamen angustiora. Flores in racemis simplicibus caules ramosque terminantibus, successive ad 2 — 3 pollices elongandis: pedunculo communi more caulis cano scabroque, pedicellis floribus fere duplo longioribus patulis scabris, incanis, pubescentibus pilis patulis. Calyces obovati persistentes: foliolis navicularibus, superne incurvis, obtusis, scabris, incanis, pubescentibus pilis patulis. Corolla pallide flava, calyce paulo longior, post anthesin persistens, dealbata, petala linearia, apice emarginata, basi albida aliquantum angustata, erecta nec nisi parum limbo patula. Stamina: filamentis setaceis, binis utrinque dente setaceo stipatis, reliquis edentulis; antheris subrotundis, flavis. Dentes illi non e filamentis, sed e receptaculo enascuntur; sunt ergo potius fil. 4 castrata. Germen compressum, suborbiculatum, canescens e pilis vix per

lentem distinguendis. Stylus brevissimus. Stigma obtusum. Silicula compressa, emarginata, obcordato-orbiculata, stylo brevissimo persistente instructa. Filamenta longiora edentula. Abludit ergo a caractere generis: foliis calycinis persistentibus; petalis erectis, unguibus calyce brevioribus. Stylo germine brevior, filamentis edentulis, praeter sex antherifera 4 castratis. Habitat in graminosis siccis. Fl. Majo.

881. *A. muricatum* mihi vel *tuberculatum*.

Radix annua, ut in praecedente. Caules basi divisi in plures ascendentes, superiore parte ramosos, palmares, spithamacosve, teretes, tuberculis minutis scabros, pilis stellatis subpatulis hirtos atque incanos. Folia spathulato-lanceolata, acuta, integerrima, utrinque pilis stellatis subpatulis incana; subtus tuberculata, supra scabra, inferiora in petiolos angustata, summa sessilia, basi tamen angustiora. Flores ut in praecedente, pedunculo communi pedicellisqve hispidis. Calyx ovatus, hispidus; foliolis oblongis parum concavis, acutiusculis, tuberculato-scabris. Stamina calyce longiora, filamentis planis, binis brevioribus supra basin dente lineari longo germen tegente, reliquis infra apicem huic denticulo minuto instructis. Petala pallide flava, calyce paulo longiora, sublinearia, erecta, limbo paulo ampliore emarginato parum patula, ungue albido inferne angusto, post anthesin persistentia, dealbata. Germen compressum, suborbiculatum, pilis densis incanum. Stylus subulatus, glaber, germine paulo brevior. Silicula quam in praecedente et *calycino* major, orbiculata, integra (non emarginata), scabra, hispida. Fl. in fine Aprilis. Conferendum cum *A. sibirico*.

882. *Draba verna*.

Habitat in cultis et incultis siccis apricis, potissimum arenosis.

883. *D. aizoides*?

Radix biennis (ut videtur), sordide albida; $1\frac{1}{2}$ —2-pollicaris, in aliquot ramos divisa, superne promens unam, saepius plures (ad 4—5) rosulas foliorum. Scapi e singula foliorum rosula singuli, erecti, e lateralibus rosulis incurvo-erecti, $1\frac{1}{2}$ -, raro tripollicares, simplicissimi, teretes, glabri, laeves, inferiore parte, qua solis radiis contingunt, obscure purpurascens. Folia infima patentissima et subreflexa, reliqua erecta, lineari-lanceolata, versus basin successive angustata, acutiuscula, supra plana, glabra, laevia, subtus costa vix eminente convexiuscula, ac versus apicem setis aliquot adpersa, margine setis albis patentissimis ciliata, caeterum integerrima. Flores e corymbo terminali simplici cum fructu in brevissimum racemum abeunte. Pedunculi nullis bracteis suffulti, filiformes, glabri, laeves, floribus prope triplo longiores. Calyces erectiusculi: foliolis ovatis, obtusiusculis concavis, margine flavo conniventibus (inferiore parte), caeterum viridibus, glabris. Corolla calyce duplo longior, flava, erectopatula; petalis obovatis, emarginatis, ungue pallidior, subincurvo. Stamina 6, 4 petala aequantia aut parum excedentia; filam. subulatis, pallide flavis; antheris subrotundis flavis. Pistillum staminibus longioribus paulo brevius. Germen compressum, oblongo-ovatum, viride, glabrum; stylus crassiusculus, germine triplo brevius; stigma obtusum. Silicula compressa, oblongo-ovata. Calyx et corolla peracta florescentia dein persistunt, tandem decidunt. Habitat in saxosis rupetribus calcareis montium mediterraneorum. Fl. Martio.

884. *D. androsacea* Willd., *ciliaris* Host, *ciliata* Scop., *fladnizensis* Wulf.

Radix perennis, rependo diffusa, tenuis, filiformis, pallide fusca; fibrosas brevesque radículas edens. Caules plurimi ex eadem radice, in caespitem collecti, erecti, palmares,

simplicissimi, filiformes, nudi, basi hispiduli; caules steriles hispidi, setis patentibus; glabri quidam steriles. Folia profunde viridia, obovata, denticulata, acuta, apice in seta terminato, ciliata setis indivisis basi in denticulos incrassatis, rigida; radicalia in orbem posita, subrecurva, in petiolum brevem planiusculum, utrinque convexum, ciliatum angustata; caulina 3 — 4 sessilia aut potius semiamplexicaulia, paullo angustiora, hinc forma ad lanceolata accedentia, basi extus eminentia terminata. Folia caulium sterilium longiora, cuneiformia. Flores in racemo brevi erecto primum corymbiformi, simplicissimo, 10 — 12: pedunculis patulis, filiformibus, nudis, laevibus flore vix longioribus. Calyx foliolis oblongis, obtusis, duobus oppositis, nudis, margine nudis, basi saccatis. Corolla candida, calyce prope duplo longior: petalis lamina emarginata, seu obcordato-cuneiformis. Stamina sex. Quatuor vix calycem aequantia, duo opposita notabiliter breviora, filamentis viridescenti-albis, acutis, longioribus, planiusculis; antheris ovatis, obtusis, sulco exaratis, flavis. Glandulae nectariferae basin filamentorum cingentes, aliae binae forma tuberculorum sub singulo pari filamentorum breviorum. Pistillum staminibus brevioribus paullo longius, reliquis vix brevius; germine oblongo teretiussculo: stylo vix notabili; stigmate obtuso flavescente. Siliculae oblongae, 5 — 6-tuplo longiores quam latae, erectae, subcompressae, torulosae, striatae, laeves nudaе, bivalves, biloculares: valvulis dissepimento parallelis. Semina ovata, utrinque sub apicem sulco vix notabili versus alterum marginem impresso, nuda, glabra, fusca (II.).

In valle Vilena draga, Merszin, Plissivica, Velebo Croatiae.

885. **D. tomentosa** Wahlenberg de vegetatione et climate in Helvetia septentrionali.

Copiosa in alpibus Scepusii.

886. **D. nemoralis.**

Racemus florum nutans. Caulis, folia, siliculae pubescunt, etiam calyces, pedunculi autem glabri sunt. Copiosa in graminosis siccis Pesthini.

887. **Thlaspi praecox** Wulf.?

In Matra supra molas non procul Gyöngyösino lectum, pro *T. montano* habitum.

888. **T. montanum.**

In Matra, in montibus Slavoniae ipse legi, in Kriván Rochel. Ad Bocam versus Cserhova Szádba in rupibus copiose Wahlenberg.

889. **T. divaricatum** mihi.

Radix biennis (?), ramosa, sordide albens, 4—5 pollices longa. Caules ex eadem radice plures erecti declinatique, spithamaei longioresve, ramosi, angulati, striati, pubescentes. Folia pubescentia, scabra, acuta, inferiora longe petiolata profundissime pinnatifida, laciniis lanceolatis, acutis, margine inferiore integerrimis, superiore subdentatis, extima majora, oblongo-ovata, dentata; superiora sessilia, sagittata, lanceolata, pauca dentata, pleraque integerrima. Petioli planiusculi, marginati. Flores ut in congeneribus primum corymbosi, corymbo demum cum fructu in racemum, quandoque palmarem spithamaeumve elongando pedunculo communi pedicellisque glabris cum fructu horizontaliter patentibus. Calyces glabri, caduci, phyllis subrotundis, albido-marginatis, concavis. Petala candida. Stamina . . . Germen subrotundo-ovatum. Stylus brevissimus, persistens; stigma obtusum. Silicula ovalis, apice perparum emarginata (talis saltem erat immatura). A L. Bar. Splényi e Dég vel Cottu Sümeghiensi allata species.

890. **Hesperis matronalis.**

Pro varietate hujus habet Wahlenberg illam petalis albis e Chocs aliisque locis carpathi.

891. Erysimum repandum.

Copiosissimum in arvis Cottus Hevesiensis et Borsodien-
sis, qua parte planiores sunt.

892. Crambe macro- vel chlorocarpa vel laevis.

Radix perennis, simplex, diametro unum duosve pollices
aequans, ad 2 pedes et ultra in terram recta penetrans, extus
nigricans, intus alba, sapore dulcescenti, subacri. Caulis
solitarius, erectus, 3 — 4-pedalis, saepe pollice crassior,
carnosus, e basi ramosissimus, pallidus, rore cano detergibili
tectus, angulatus: angulis profundius viridibus, hinc striatus,
carnosus, ramis patentibus. Folia grandia, supra glabra,
subtus venosa, venis nervisque setulis raris adspersa, vario-
ribus subciliata; radicalia patentissima demum decumbentia
longe petiolata, pinnata? pinnis profunde bipinnatifidis, laci-
niis valde inaequalibus, irregulariter lobatis ac dentatis, den-
tibus acutiusculis, subcallosis; caulina patentissima recurvo-
pendentia, inferiora pinnata, foliolis profunde pinnatifidis;
laciniis lanceolatis, grosse inaequaliter ternatis; superiora
pinnatifida, laciniis sinuato-dentatis, demum integerrimis;
summa demum ramea glabra, inaequaliter dentata, ac deni-
que sublinearia, integerrima. Petioli basi dilatati, semiam-
plexicaules, radicales supra basin canaliculatam ovatam striati;
caulini supra per totam longitudinem canaliculatam. Flores
numerosissimi, 10 -- 16, primum in corymbos congesti, cum
fructu in racemos breves perducendi. Pedunculi filiformes in-
teriores semipollicares, aut paulo longiores. Calyx patens:
foliolis distantibus, aequalibus, ellipticis, obtusis, concavis;
pallide viridibus, margine albidis, deciduis. Corolla alba: un-
guibus petalorum calyce brevioribus, viridi-flavescentibus,
linearibus, horizontaliter patentibus, subcordato-orbiculatis;
ad unguem minutum obcordatis, antice rotundatis, vix nota-
biliter emarginatis. Stamina unguibus petalorum longiora,

breviora, filamentis simplicibus, setaceis, 4 longiora per paria approximata, duplo latiora, superne in 2 dentes divisa, quorum inferiores acuti, per paria connivent, exteriores paulo longiores antheras gerunt ovatas flavas. Glandulae duae nectariferae inter filamentorum longiorum basin prominentes, profunde virides. Fructus in hoc genere maximus, globosus, apice foveola impressus, albus cum modico tinctu viridis, insidens receptaculo viridi.

Habitat in aggeribus Syrmii et pratis Cottus Csauádiensis.

Resedaceae.

893. *Reseda Luteola*.

In agrorum versuris marginibusque, aggeribus, ad vias, in ruderatis, arvis. In Cottu Trencsin a Genersich lecta.

894. *R. Phyteuma*.

In monte Gerardi atque in arvis ad Maxengraben Budae jam sub medium Aprilis florentem reperi; occurrit et alibi in arvis et aggeribus.

895. *R. mediterranea*.

Ad Vacium in agris versus vineas, in monte Gerardi, in arvis Cottus Bacsienis infra Theresiopolin et Albensis ad Kaloz.

896. *R. lutea*.

In saxosis, muris, aggeribus, arvis ubique. In Cottu Trencsinensi a Genersich lecta. β . *angustifolia* in Eresi lecta.

Nymphaeaceae.

897. *Nymphaea lutea*.

Multo minorem ad Chrysium fluvium et in Slavonia legi, an *N. minima*? Willd.

898. *N. alba*.

Ad Káloz occurrit multo minor lobis distantibus.

899. *N. Lotus*.

Supra thermas episcopales in rivo Pece.

Cistineae.

900. *Cistus salvifolius*.

In montanis Litoralis, Host.

901. *Helianthemum Fumana*. *Chamaecistus IV*.

Clus. hist. 75.

In montibus apricis Budae etc. inque clivis arenosis per planiorem Hungariam.

902. *H. marifolium*. *Cistys canus* Jacq. *C. myrtif.*

Lam. *Chamaecistus III*. Clus. hist. 74.

In montibus calc. ad Palotam, Csákvár, Harsány (Baranyensi), alibique frequens.

903. *H. oelandicum*. *Chamaecistus II*. Clus. hist. 73.

In Choës alpe Liptoviae cum *H. vulgari*, e Scopusio a Genersich; Velebich. Habet definitionem *Cisti anglici*, qui in Fl. brit. a Smith ad *C. marifolium* citatur. Caulis suffruticosus procumbens, parte florente erectus. Folia opposita exstipulata, petiolata, plana, in petiolum angustata, obtusiuscula, hirsuta, ad specimina e Velebich notavi: folia pilis fasciculatis esse ciliata et subtus talibus adspersa. Flores racemosi. Calyx hirsutus, canus. Eadem obtinent in exoticis exemplaribus, minus tamen hirsutis. In Plissivica maxime hirsutum occurrit. Mauksch misit etiam specimen e summa alpe calc. Kesmarkensi valde hirsutum, addito specimine *H. vulgari* stipulato, ut adeo monendus sit, eum duas species confudisse.

904. *H. Rochelii*.

Simile *H. vulgari*, sed exstipulatum. Ex alpestribus Choës.

905. *H. vulgare*.

Folia variant ex obovato - oblongis in lanceolata, hirsutie item densiore et rariore, statura. Definitio *Oederi* autem minime convenit, utpote qui folia revoluta, subtus incana ponit.

906. *H. calcareum*.

An diversum ab *H. vulgari*? foliis subdenticulatis, ciliatis, pilis binatis. In Chocs et Velebich.

907. *H. glabriusculum* mihi.

Glabrum aut subpubescens: foliis lanceolatis, margine revolutis, acutiusculis, petiolatis, oppositis; stipulis lanceolato-subulatis, sessilibus; calycibus glaberrimis, rarius subpubescentibus. Caules suffruticosi, procumbentes: ramis floriferis erectis. Flores racemosi. Bractee lanceolato-subulatae, glabrae. Habitat in alpinis Velebich.

908. *H. pollenis* mihi.

Suffruticosum, stipulatum, procumbens: foliis oppositis, petiolatis, ovato-lanceolatis, acutis, planis, supra subpubescentibus, ciliatis, subtus incanis; stipulis linearibus, ramis pedunculisque pilosis incanis; floribus racemosis; calycibus hirsutis. Cilia quaedam in huic geminata. In rupibus ad thermas Herculis.

Droseraceae.**909. *Drosera rotundifolia*.**

In uliginosis Scepusii (in der kleinen Kolbach) et circum stagnum Dumitru infra montem Rozsály pone Nagy Bányam.

910. *Parnassia palustris*.

Pesthini in pratis uliginosis, in alpinis Scepus., Liptov., Arvens. et Marmaros., nimirum in monte Kobila infra terram phosphorescentem.

Caryophyllaceae.

911. *Spergula arvensis*.

Caulis inferiore parte et folia inferiora glabra, superiora et caulis ramique pedunculique calycesque pubescentes pilis brevibus glanduliferis; semina nigra margine albido cincta, non proprie reniformia, verum tumido-lentiformia, punctis elevatis scabra. In arvis et inter segetes Cottus Sárosiensis, Scepusiensis, Marmarosiensis, Banatus (inter Korniam et Teregovam), Cottus Sümeghiensis (loco arenoso), versus Csurgo. Genersich pro *S. pentandra* sub „videtur“ misit.

912. *S. nodosa*.

Apud nos omnino glabra. In turfosis Scepusii. In alpe Kriván cum *Lychnide 4-dentata* ipse legi loco humido. Etiam a Genersich sub videtur.

913. *S. saginoides*.

Mauksch plantam hanc in silva alpestri loco graminoso semel reperit et huic quoque ut Willdenowiano specimini folia setula terminantur. His speciminibus glabris, quae in silva Borbolensi legeram, folia sunt latiora.

914. *S. subulata*.

Variat: α) caulibus, pedunculis, calycibusque pubescentibus, foliis ciliatis; β) caulibus inferne foliisque inferioribus glabris, superioribus ciliatis, pedunculis calycibusque pubescentibus; γ) caulibus, pedunculis, calycibusque glabris, foliis inferioribus subciliatis et δ) omnibus partibus glaberrimis, qualem in Cottu Soproniensi in silva inter Rohrbach et Barbolam legi; alia specimina inter Zagrabriam et Carolostadium atque in silvis montis Plissivica legi. — Ergo folia ciliata non ingrediuntur definitionem. Caules glabros ponit Smith. An glabra mea varietas est *S. saginoidis*? Folia certe etiam

in specimine a Willdenow misso *S. saginoidis* brevi arista terminantur.

915. *Scleranthus annuus.*

In arvis potissimum sterilioribus, in lapidosis, arenosis, ubi saepe, velut ad Izsák, vix pollicaris. Caules ramique pubescentes. Folia basi dilatata membranacea ciliata connata.

A. Mauksch sub nom. *S. perennis*?

916. *S. perennis.*

Caules non prostrati (ut Smith in Fl. brit.) verum ramosissimi: ramis nudis patentibus ascendentibus. Optime dignoscitur, calycem laciniis margine membranaceis, obtusis. Reliqua fere prioris. Stamina 10. Styli 2. Caulis et calyx pubescens. Folia basi dilatata connata, ciliata. Stigmata simplicia, alba. Odor fere *Geranii inquinantis*. In montibus apricis ad Oravica, Versec etc. Circa Laaz in Cottu Trencsinensi Rochel. In rupibus ad Paulis, in montibus Ménesiensibus, tum ad arcem vet. Világos.

917. *Alsine media.*

In cultis.

β. elongata. Folia ovata, intermedia petiolis late marginatis ciliatis, caulibus apice dichotomis, floribus fasciculatis; petalis germine brevioribus.

γ. apetala. Calycibus altis hirsutis; petalis subnullis: staminibus 2. Pesthini tenerior lecta, major a Wolny pro nova missa.

918. *Arenaria tenella* mihi.

Caules inferiore parte ramosi, decumbentes, inde plures erecti aut adscendentes, floriferi simplicissimi, 1½ — 2-pollicares, graciles, pubescentes. Folia obovato-cuneiformia, obtusa, glabra, basi ciliata, ex axilla altera fasciculum foliorum brevissimum, velut rami rudimentum promentia. Flores terminales, perumque bini (rarius unicus), breviter peduncu-

lati, ante florescentiam nutantes: pedunculis pubescentibus, altero aphylo, altero velut laterali primarium demum excedente, bracteis binis e medio instructo. Bractee tam hae, quam ortum communem utriusque pedunculi stipantes, angusto-lanceolatae, acutiusculae, basi subciliatae, glabrae. Calycis foliola ovata, acutiuscula, glabra, enervia. Petala alba, obovata, integerrima, calyce majora. Habitat in summis alpium Scepusiensium jugis. A Mauksch missa sub quaestione: an *biflora*, an *multicaulis*? Willdenowio videtur *biflora* esse; sed ab utraque diversa; a *biflora* differt: caulibus floriferis erectis, pubescentibus, fasciculos foliorum axillares prominentibus; foliis obovato-cuneiformibus; floribus terminalibus binis; a *multicauli*: foliis obtusis.

919. A. trinervia.

Folia elevato-punctata. In silvis Budae, Sirmii (ad monasterium Bessenovo), Banatus, Cottus Bihariensis.

920. A. ciliata.

Folia punctis eminentibus velut callosis scabra, jam tota, jam inferiore tantum parte ciliata, caeterum glabra, obtusiuscula potius quam acuta dicenda; phylla autem acuta, obsolete trinervia. Caulis superior pars et pedunculi brevissime pubescentes. A Mauksch e Scepusio; etiam a Genersich sub nom. *A. multicaulis*.

921. A. gracilis. Pl. rar. Hung.

Capsulae oblongo-ovatae, calyce longiores, ore 6-fido dehiscentes. In rupibus calc. alpinis et subalpinis montium e. c. in Jadrina Polyana, Vissochica.

922. A. serpyllifolia.

In arenosis, campis, in silvis.

923. A. rubra.

In montanis apricis substerilibus, e. c. ad Parád, in sabulosis Scepusii. Pro *Spergula pentandra* misit Genersich

In campis siccis ad Brezovicam in Croatia. Ad acidulas Mercenses occurrebat tam magna, ut pro *A. marina* habuerim primo intuitu; capsulae ore trifido dehiscunt.

924. *A. marina*.

Folia non raro ut in praecedente, setula, sed brevi, mucronata; ergo nota: foliis muticis, e definitione expungenda. Occurrit quandoque tota fere glabra, pedunculis calycibusque tantum vix notabiliter pubescentibus. Stamina 3 — 4 observavi. Crescit in subhumidis, salsis, sabulosis ad Biha circum lacum seu paludem salsum, ita et Budae, tum ad lacum Velencensem, et per planitiem inter Danubium et Tibiscum passim.

925. *A. graminifolia* Willd. en., *longifolia* M. B.

Radix perennis. Caules erecti, pedales, longioresve, teretes, glabri, laeves, geniculis infra paniculam plerumque 7 interstincti. Folia lineari-subulata, subcarinata, striata, glabra, laevia, marginibus serrulata, denticulis setaceis brevissimis, inferiore parte membranacea connata. Flores in panicula terminali, trichotoma, saepe insuper in ramo axillari infra paniculam enato: pedunculis teretibus, glabris, laevibus; bracteis membranaceis subulatis, carinatis, carina saepe obscure purpurascens. Calyces glabri, laeves, nitidi; foliolis subrotundo-ovatis, obtusissimis, margine membranaceis albidis, dorso viridescens, subnerviis. Corolla calyce plus quam duplo longiori, alba; petalis obovatis. Schultes in Fl. Oest. *A. proceram* Spreng. nominat. Prius pro *A. saxatili?* habui; Sprengel dubium solvit. Habitat ad Gyöngyös in regione, quae Bena dicitur et ad lapicidinam Sárhegy ibidem, tum ad oppidum Sz. André versus silvam non procul mola papyri.

926. *A. verna*.

Sub nomine *A. semiteretis* descripta et Willdenowio

missa. Variat caulibus, foliis, pedunculis, calycibusque glabris (qualis in arenosis ad Pesthinum, Izsák etc. occurrit, sed haec distincta species esse videtur, mox describenda); tum pedunculis pubescentibus, calycibus glabris (qualis in alpinis Scepusii pusilla, locis sabulosis, in alpinis Velebich et ad thermas Herculis); denique pedunculis calycibusque pubescentibus (qualis in arenosis Pesthini, ad Izsák, et in Banatn lecta, atque a Lumnitzer sub nomine *A. tenuifoliae* et *laricifoliae*, a Genersich sub nomine suo missa est). Pili sunt glanduliferi. Quandoque paucissimi, ut ambigas, ad quam varietatem referas, imo in pedunculis calycibusque nulli, sed caulibus basi brevissime pubescentibus, qualis etiam, in arenosis Pesthiensibus occurrit, primum commemorata, quam etiam varietatem esse, nunc video; in eodem caule etiam pedunculos calycesque subpubescentes video. Varietates itaque istae sequenti ordine ponendae erunt. Conferatur descriptio *A. semiteretis* inter plantas itineris banatici: α) pedunculis calycibusque pubescentibus; β) pedunculis pubescentibus, calycibus glabris; γ) pedunculis calycibusque glabris, caulibus basi subpubescentibus. Haec etiam in rupibus calcareis sub arce Sümegh. legi. Pusilla illa ex alpinis Scepusii pedunculis subpubescentibus, calycibus glabris, et major iisdem notis donata ex alpinis Velebich, cum caules habeat uni — bifloros etiam in horto nutrita, pro distincta haberi potest, quae igitur est:

927. *A. pauciflora* mihi.

Caules basi perennantes, decumbentes, inde erigentes cauliculos seu ramos 1—2-pollicares, simplicissimos, 1—2-flores, pilis glanduliferis brevibus patentibus superiore parte adpersos. Folia subulata, acutiuscula, glabra, laevia, subtus subtrinervia, superiora, ut bracteae, latiora, subovata, acuta. Pedunculi breves, pilis glanduliferis, brevibus, patentibus ad-

spersi. Calyces glabri: foliolis ovato-lanceolatis; acuminatis, trinerviis, ut bracteae margine membranaceis. Petala calyce parum, ut videtur, longiora, ovata. A Mauksch sub nom. *A. indeterminatae*, tum *striatae*, atque *vernae* missa, et a me in alpibus Velebich lecta; e seminibus Scepusiensibus in horto educata notas retinuit, nec paniculam formavit, licet caules paulo longiores ($2\frac{1}{2}$ -pollicares) produxerit. Eadem ab Haenke sub nomine *A. recurvae* habeo. Conf. cum Wulfenii descriptione et fig. in Jacq. collect. I. p. 244. t. 6. f. 16; definitio *A. Gerardi* etiam convenit.

928. *A. tenuifolia*.

Foliola calycina subulata, dorso lineis 2 viridibus picta, nec lanceolata, trinervia, ut Smith in Fl. brit. Habitat in clivis arenosis Pesthiensibus et in saxosis montis Gerardi Budae etc.

929. *A. subulata* mihi.

Radix perennis, ramosa, lignosa. Caules basi ramosissimi, procumbentes, lignescentes, inde erigentes cauliculos seu ramos herbaceos numerosos dense confertos 3—4-pollicares aut spithamaeos, teretes, inferiore parte indivisis, brevissime pubescentes, superiore alternatim ramosos, glabros. Folia subulata, glabra, erecta, versus basim dilatata, trinervia, margine membranacea, brevissime ciliata, connata, in axillis in fasciculos collecta. Flores ramorum et caules terminales lateralesque, in ramis et caule ita dispersi, ut praeter ramulum bi—triflorum, etiam peduncululus uniflorus ex axilla eadem prodeat. Pedunculi glabri, laeves. Bracteae magis dilatatae brevioresque foliis, margine lato-membranaceae, dorso subtrinerviae. Calycis foliola lanceolato-subulata, acuminata, erecta, membranacea, dorso lineis 2 viridibus picta. Petala Maxime affinis *A. tenuifoliae*; sed radice perenni, caulibus inferne subpubescentibus diversa. Habitat

in fallor in monte Gerardi. *A. striata* et *recurva* All. a nostra sunt diversissimae: petalis calyci aequalibus aut subaequalibus.

930. *A. rostrata* mihi.

Willdenow primum pro *A. laricifolia* declaravit et opinionem suam per transmissum specimen quod ejusdem omnino plantae est, confirmavit, dein vero in en. fl. hort. ber. sub nomine a me indito proposuit. Host eandem in monte Cobor lectam pro *A. trinervia* habuit; Mauksch sub nomine *A. an laricifolia?* Rochel primum sub nom. *A. striatae?* dein sub nom. *A. liniflorae* misit, etiam Mauksch semel quaesivit *A. striatam* nominavit in finibus Scepusii et Gömöriensis Cottus lectam. Habitat in montibus calcareis Cottus Trenchin (in valle Szulyó, et in summitate montis Malenica), Nitriensis (in m. Cobor), Liptoviensis (in Szmrkovica inter Hradek et Sz. Iván), Arvensis, Scepusiensis, Gömöriensis, Thurociensis (ad Moticska et catarractas Moticskenses) et Zoliensis (Konszkidol montis Tlszta). Definitio et descriptio *A. striatae* in Villarsii Plant. de Dauph. sat bene convenit. Pro *A. striata* misit Genersich. Pro nova primum Schrader, e specimine autem *A. striatae*, quod misit, patet, hanc ejus non esse diversam; pro *A. liniflora* Wahlenberg, qui ea in Carpato desit, declarat.

931. *A. frutescens* mihi.

Priori similis sed diversa: caulibus frutescentibus crassis, foliis acutissimis; phyllis glabris, multinerviis, acuminatis, lanceolatis, bracteis lanceolatis, multinerviis, margine membranaceis. Radix inter rupes profunde penetrans, ramosa, lignosa, extus nigricans. Caules ramosissimi, diffusi, lignosi, pennam anseris aut cygni crassitie aequantes, varie flexi, aphylli, nigricantes; ramuli herbacei inde erecti, 2—3-polli-

cares, simplices, nec nisi apice pro inflorescentia divisi, teretes, vix notabiliter pubescentes, pilis brevissimis. Folia in ramulis sterilibus futuro anno fructificaturis conferta, incurva, in floriferis per paria remota, pro vario ramuli situ jam recta jam incurva, subulata, acutissima, glabra, subtrinervia, basi marginibus connexa; ramis dichotomiam constituentibus, reliquis axillaribus, pedunculis brevissime subpubescentibus, brevibus, aliis aphyllis, aliis medio pari bractearum instructis. Bracteae lanceolatae, acuminatae, multinerviae, glabrae, margine membranaceae. Calyces patentes: phyllis lanceolatis, acuminatis, multinerviis (5—7-nerviis), glabris, ad lentem subrubrescentibus, margine membranaceis. Petala alba, calyce longiora, obovata. Filamenta calyce breviora, setacea, alba; antherae pallide flavae. Germen ovatum, nitidum. Styli 3, albi, setacei. Capsula Habitat in rupestribus Szitnya non procul Schemnitzium.

932. A. fasciculata.

Calyces pubescentes. In clivis arenosis et montibus apricis.

933. Moehringia muscosa.

Locis humidis subumbrosis, saxosis in Scepusio ad Schwedler et Szomolnokinum. In Croatia ad viam Carolinam a Meskopál versus Flumen, in Cottu Liptoviensi, in rupibus pone Rézbánya, in alpe Guttin etiam hic loco humido.

934. Stellaria nemorum.

Folia et maxime petioli pilis longis tenuibus ciliata. Habitat in silvis subalpinis montium Velebich et Tatrae. A Mauksch etiam in alpium humidis lecta, sed nunquam florens. Etiam pone Rézbányam ubi locis humidis.

935. S. latifolia? Pers. **S. Cerastium?** Syst. veget. XV. p. 450.

Caulis repetito dichotomus. Folia ovata acuminata, sub-

sessilia, pubescentia, breviter denseque ciliata. Calyces basi pubescentes, caeterum glabri, foliolis obtusis, margine albo-membranaceis. Petala calyce multo longiora, profunde bipartita, Lumnitzer pro *S. dichotoma* proposuit, quae esse nequit, cum huic secundum Willdenow in Sp. Pl. sint petala calycis longitudine. Accepi etiam e Cottu Liptoviensi. Pro *S. dichotoma* habetur notante Persoon.

936. *S. Holosteum.*

In silvis, potissimum caeduis, fere ubique frequens, etiam in Banatu et Syrmio.

937. *S. graminea.*

Petala subinde calyce longiora esse dicit Smith in Fl. brit. ergo tunc definitio fallit. In pratis, aliisque locis graminosis. In pratis ad Sz. István legi itinere beregh. Bracteae phyllaque (haec fere tantum altero margine) plus minus tenuissime, brevissimeque ciliata; reliquae partes glabrae. Caules in siccatis tetragoni, lateralibus excavatis seu sulcatis. Rochel misit sub n. 345. sine nomine, in agris ad Rownye natam.

938. *S. Alsine.*

Ad scaturigines subalpinos leg. Mauksch, ad scaturigines in alpe Kriván ego et Rochel, qui plantam sub synonymo Rothii scil. *S. uliginosae* misit, locis humidis ad rivos Szomolnokini, misit etiam Genersich. Pedunculi axillares, saepe dichotomi, pedicellis in ramis dichotomia non raro oppositis divaricatis.

939. *S. multicaulis.*

Habitat ad lacum Rácskowa in Cottu Liptoviensi, in arenosis alpium Scepusiensium ad rivos in alpe Petrosa supra nivem copiosa, in summitate alpium Pop-Iván: Mauksch misit sub nom. *S. cerastoidis*, etiam Rochel. Rami nequaquam semper erecti, verum saepe ascendentes, nec simplicissimi

quae notae igitur a definitione absint. Pedunculii pubescunt, uti et basis calycis plerumque. Phylla obtusa. Est *S. cera-stoides* Smith ex herb. Linn.

940. *S. glandulosa* mihi; forte *S. glandulifera* dicenda.

Caules basi procumbentes, inde ascendentes, cum panicula spithamaei longioresve, teretes, pubescentes, pilis inferioribus reflexis, superioribus glanduliferis, patentibus, brevioribus. Rami inferiores procumbentes, proximo anno caulium floriferum prolaturi, pilis reflexis pubescentes. Folia linearia, obtusiuscula, ciliata, pubescentia. Pedunculus caulium plerumque terminans, non raro inter ramum et folium enatus, communiter ipso caule longior, dichotome divisus, plerumque in ramum alterum biflorum, alterum dichotomum. Pedunculis pilis glanduliferis patentibus brevibus pubescentes. Bractee lanceolatae, acutiusculae, pubescentes, ciliatae. Calycis foliola oblongo-ovata, obtusa, margine albo-membranacea, glabra, dorso viridia, enervia, pubescentia. Petala calyce plus quam duplo longiora, emarginata, alba, striata. Habitat ad rivum alpinæ vallis Völk in Scepusio.

941. *Cerastium silvaticum*. Pl. rar. Hung.

In silvis locis udis c. c. ad Beocsin in Sirmio, ad Jánosfa in Cottu Sümeghiensi, ad Ozail in Croatia. Etiam in aliis silvis montosae partis Sümeghiensis Com. Zselic dictae, jam olim legeram caulibus sesquipedalibus, decumbentibus etc. et sub nomine *C. heterophylli* descripsi, quia folia stolonum communiter subrotunda observavi. Ad Pece Sz. Márton minus occurrit. β . foliis ovatis, utrinque hirsutis (quae priori supra glabriuscula sunt), an distincta species. E Croatia.

942. *C. umbrosum* mihi.

C. silvatico proximum. Radix ut videtur perennis. Caules basi decumbentes, inde ascendentes, 8 — 10-pollicares,

teretes, pilis mediocribus obsiti, inferioribus subreflexis, superioribus patentibus, glanduliferis. Folia acutiuscula, utrinque pilis aliquot adpersa, ciliata, inferiora basi angustata subspathulata, superiora ovato-lanceolata. Flores in panicula diffusa, dichotoma, multiflora: pedunculis longiusculis, pilis glanduliferis densius obsitis, post anthesin declinatis aut subrefractis. Calyces pilis glanduliferis pubescentes: foliolis ovato-lanceolatis, acutis, margine membranaceis. Corolla calyce longior, recta. Habitat in monte Merszin ad Korenicam in Croatia.

943. C. rotundifolium mihi.

Radix annua, ramosa, pallida. Caules ex eadem radice plures, erecti, laterales ascendentes, palmares aut spithamaei, simplices, nec nisi apice pro inflorescentia dichotome divisi, hirsuti pilis inferioribus densioribus, brevioribus, viscidis. Folia pilis longis hirsuta, obtusa cum brevissimo denticulo calloso in apice, inferiora obovato-cuneiformia, in petiolum angustata, caulina subsessilia, subrotundo-ovata. Flores in panicula dichotoma, densa, demum in binos fasciculos secedente, breviter pedunculati: pedunculis breviter piloso-viscidis. Calyces pilis longis hirsuti, subviscidi, foliolis lanceolatis, acutis, interioribus margine membranaceis nitidis. Petala calyce longiora, apice ad $\frac{1}{4}$ vel $\frac{1}{3}$ inciso-bilobis. Stamina 10. Styli 5. Capsulae calyce longiores, incurvae, nitidae, ore decemfido-dehiscentes: dentibus acuminatis. Habitat in graminosis siccis apricis ad Magnovaradinum, Pee Sz. Márton. Ad Szalabér in Cottu Szaladiensis, et in Croatia ad Korenicam atque in Merszin idem omnino occurrit caule saepe solitario prope pedali. Pedunculi erecti, nec refracti. Semina fusca, compressa. Tota herba pallide virens.

944. C. ovale Pers. **C. vulgatum** Smith.

A. Wolny e Sirmio.

945. *C. vulgatum*.

Priori proximum et perquam simile est colore pallido herbae; caulibus pluribus, in macro erectis aut ascendentibus, digitalibus, spithamacis, longioribusve, hirsutis; inflorescentia; sed differt pilis caulium erectiusculis superioribus etiam siccis, tantum pedunculorum subviscidis; foliis oblongo-ovatis; floribus paulo longius pedunculatis: calycibus, capsulis eodem vix longioribus, nisi hoc forte ab aetate dependeat, sed vidi capsulas semina spargentes parum longiores, rectis dentibus ore obtusis. Habitat in agris, vineis, pratis, pascuis, solo sicco. Etiam pili calycis quidam breviorum viscidi. β . foliis cum lanceolatam figuram magis accedentibus, capsulis paulo longioribus in Merszin legi et Lumnitzer sub nom. *C. semi-decandri*. Maukseh sub nom. *C. arvensis* misit.

946. *C. pauciflorum* mihi.

Radix perennis. Caules ex eadem radice plures, basi decumbentes, perennantes, inde ascendentes, hirsutissimi pilis reversis, teretes, simplices, palmares aut spithamaei. Folia pilis longis hirsuta, obtusiuscula, sessilia, ovalia, inferiora minora, basi angustiora. Flores plerumque terni, bini laterales oppositi, medio ex dichotomia, nonnumquam pedunculi laterales (unus uterque), biflori; hirsutissimi pilis patentibus densis, cum fructu declinati aut subrefracti. Calyces oblongi, pilis longis hirsuti, phyllis lanceolatis, acutis, margine apiceque albo-membranaceis, a granulis piliferis dorso scabris. Petala calyce breviora, biloba. Stamina 10, filam. albis, setaceis; anth. ovalibus, ochroleucis. Styli 5, albi. Capsulae calyce longiores, rectae, ore communiter 8-fido, rarius 10-fido dehiscentes. Habitat in alpihus Bereghiensibus, Zolien-sibus, Liptoviensibus (in Kriván et Chocs). Fl. Aug. In valle Völkensi legi specimina foliis obtusioribus. Etiam ad catar-

ractas Motieskenses occurrit, saltem simile. Nomen non satis conveniens est; mutandum erit.

947. **C. viscosum.**

Sed folia superiora acutiuscula. Capsulae saepe calyce duplo longiores, subincurvae, ore 10-fido. Panicula dichotoma, multiflora, pedunculis post anthesin declinatis sub maturitate et anthesi erectis. In collibus et montibus aridis Budae, in clivis arenosis Pesthini etc. Smith in Flora brit. perennem ponit, etiam in descriptione, Willdenow annuam in Sp. Pl. et in En. pl. h. ber. Ergo ille distinctam speciem sub hoc nomine descripsit, quae in nostram non cadit. Quod hic a Mauksch acceptum pro *C. viscoso* cum eodem indicavi, accuratius examinatum fuit *C. vulgatum*. A Willdenow acceptum specimen videtur distinctum esse: nam multo minus viscosum est, fere tantum pedunculis piloso-viscidis. β . foliis subrotundo-ovatis, minus viscidum. Petala bifida, calycem subaequantia. Stamina 10. Styli 5. Caules erecti.

948. **C. semidecandrum.**

Ad Szalabér in aggere pollicaris, bipollicaris magnitudinis legi. Petala reipsa calyce breviora, emarginata. Etiam a Genersich missum.

949. **C. pentandrum** M. B. non Persoon.

In arenosis.

950. **C. arenosum** mihi.

In graminosis arenosis. Descriptum sub nom. *C. ovalis*, a quo vero secundum descriptionem Smithii, cui hoc *C. vulgatum* est, differt. Proximum *C. viscoso*, a quo distinguendum.

951. **C. banaticum.**

Priori simile, sed styli tres, ut saltem in uno flore video. Ex itinere banatico adlatum.

952. C. gracile mihi.

Hirsutum. Caules decumbentes, ramique filiformes. Folia oblonga, obtusiuscula cum brevissimo mucrone. Capsulae calyce longiores, ore 10-fido dehiscentes. Corollae calyce longiores. Fors descriptum etiam in diario itineris croatici. In pratis et agris atque fruticetis ad Koreniczam, et in monte Merszin.

953. C. pilosissimum mihi.

Radix . . . Caules ascendentes, prope spithamaei, teretes, simplicissimi, hirsuti, pilis longis siccis, inferioribus reversis, superioribus patentissimis. Folia sublinearia, versus basin paulo angustiora, obtusiuscula, hirsuta, pilis longioribus ciliata, inferiora subspathulata. Flores plerumque terni aut bini, alter terminalis ex dichotomia vel semidichotomia, pedunculo aphylo, lateralium uterque aut alteruter pedunculo bracteato insistens. Pedunculi teretes, hirsuti pilis patentissimis. Bractee tam dichotomiam stipantes, quam pedunculum lateralem in medio obsidentes, sublineares, hirsutae pilis longis, posteriores margine apiceque membranaceae. Calycis foliola lanceolata, acuta, margine et apice albo-membranacea, dorso hirsuta pilis longis e granulo enatis. Petala calyce breviora, biloba. In interioribus alpium. A Mauksch, qui notat, Cerastia ex alpebus in hortum translata mutari in novas varietates.

954. C. valachicum interea mihi v. **C. divaricatum**.

Radix . . . Caules spithamaei, apice pro inflorescentia divisi, teretes, pilis inferioribus reflexis siccis, superioribus patentissimis viscidis obsiti. Folia lanceolata, obtusiuscula, basi angustata, hirsuta. Flores in panicula dichotoma: ramis pedunculisque subdivaricatis, piloso-viscidis, teretibus. Bractee phyllaque subelliptica, obtusiuscula, margine apiceque membranacea, dorso piloso-viscida. Petala calyce longiora,

bifida. Capsulae calycem parum excedentes, ore 10-fido dehiscentes. Semina fusca, utrinque planiuscula, scabra. Ex itinere banatico adlata, in horto educata.

955. *C. arvense*? Linné Hort. Cliff.

Folia calycesque hirsuta et Bauhinus Caryophyllum hirsutum nominat: an ergo foliis calycibusque hirsutis variat? et hirsuta quaedam huc trahenda? Omnia specimina, quae eorum habeo, foliis calycibusque pubescunt, caulesque hirsutos habent et pleraque folia acutiuscula. Capsulae desunt. A Mauksch e Scepusio et a Lumnitzer e Posonio. Prior sub alio nomine miserat, et *C. arvense* a me petit. Magis convenit cum notis planta, quam Genersich pro *Stellaria* miserat utpote quae foliis linearibus obtusis, glabris est; sed specimen non est pro uberiore disquisitione aptum. Ad hoc accedens misit sub nom. *C. viscosi* Mauksch in agris arenosis occurrens.

956. *C. matrense* mihi.

(Conferendum cum *C. lineari* in Fl. pedem. All. II. app. p. 365. t. 88. f. 4. quod petendum a Balbisio, Sprengel sub novo edidit in pl. min. cogn. fasc. 1. p. 33). Radix perennis. Caules basi perennantes, diffusi, ramosi, inde ascendentes herbacei, subpedales, teretes, simplices, apice pro florescentia divisi, ex axillis inferioribus rudimenta foliacea ramorum prominentes, quae basi hac demum decumbentes, pilis densis canescentes, inferioribus paulo longioribus, subreflexis, superioribus brevibus patentibus. Folia linearia omnia, obtusiuscula basi connata, internodiis breviora, pilosa. Flores in panicula dichotoma ramis pedunculisque teretibus, inanes a pilis brevibus densis subviscidis. Bractee phyllaque elliptica, obtusa, marginibus apiceque membranacea, dorso canescentia a pilis brevibus densis, viscidis. Petala calyce longiora,

bifida, lobis obtusis. Stamina 10. Styli 5. Capsulae calyce demum prope duplo longiores, parte emersa incurvae, ore 10-fido dehiscentes: dentibus obtusis. Habitat in monte Világos Matrae.

957. C. alpinum.

Folia et caules apud nos semper plus minus pubescunt, etiam cum loco humido crescit. Folia quandoque ovata, alias ovato-lanceolata, quin inferiora, potissimum caulium sterili-um, linearia: superiora tamen caulis floriferi semper latiora. Sic etiam pedunculi calycesque plus minus pubescunt pilis subviscidis. Habitat in vallibus alpestribus inferioribus saxis humidis, ubi Junio et varietas *angustifolia* in summis alpium jugis Julio florens. Capsulas recurvas dicit Smith, quae foliis incurvae sunt.

958. C. dasyphyllum mihi var. *C. eriophorum*.

Radix perennis Caules basi decumbentes, perennantes, ramosi seu divisi in alios steriles, futuro anno fructificaturos, et floriferos herbaceos, erectos aut ascendentes, digitales, teretes, lanati. Folia caulina, elliptico-lanceolata, obtusa, pilis longis obsita, caulium sterili-um obovata, lana alba, densa longis pilis, constanter evoluta. Flores aut solitarii caules terminantes, aut bini, aut dichotomia terni, rarius, altero dichotomo ramo bifloro quaterni: pedunculis teretibus lanatis, terminali seu e dichotomo orto aphylo, lateralibus infra medium instructis bracteis binis linearibus, acutis, pilosis. Calyces oblongi, pilis longis, rari-ioribus, quam folia, obsiti, foliolis lanceolatis, obtusis, apice marginibusque membranaceis. Petala calyce longiora, obcordata, striata. Stamina 10, calyce breviora: filamentis setaceis, albis: antheris ochroleucis. Germen subrotundo-ovatum. Capsula calyce duplo longior, recta, 10 lineis eminentibus tamquam suturis

notata, ore 10-fido dehiscens: dentibus obtusis. Etiam in hac specie pili calycis e granulo seu puncto eminente oriuntur. Habitat in pascuis alpestribus copiosissime in Scepusio, unde a Mauksch semel pro *C. tomentosus*, altera vice pro *C. lanato* Lam. missum, quippe est capsulis subrotundis, et lanatum, foliis ovato-subrotundis dense incano-lanatis, caulibus brevissimis, foliis minutis, ipsum minutum. Conf. cum Hall. helv. n. 887, quod ut Syn. ad hanc plantam citatur a Lam. Genersich hujus stirpis bina specimina (minora et uniflora) cum aliis 2 speciebus mixta misit, addens: „*C.* ab *alpino* diversum videtur.“ Harum specierum una videtur esse *C. arvense*, utpote foliis glabris obtusis sed linearibus, alterum G. misit sub nom. *C. alpini*. Minorem varietatem foliis obovatis dense confertis, minus lanatis, caule 1 — 1½-pollicari unifloro, a Mauksch pro varietate *C. tomentosus* in summis alpibus Aug. lectam Willdenow pro *C. latifolio* declaravit; petatur capsula.

959. *C. anomalum*. Pl. rar. Hung.

In pratis, pascuisque, aliisque locis graminosis Gyöngyösi, versus fodinas Oroszienses, in Matra, in Cumania majore, Cottu Bihariensi; Wolny e Cottu Poseniensi, attulit.

960. *C. aquaticum*.

Sed caules inferiore] parte glabri, supra magis magisque pubescentes pilis brevibus (nec, ut Smith, undique pilosi). Folia glabra, subtus scabriuscula, superiora brevissime ciliata (nec, ut idem pilosa). Pedunculi ex dichotomia caulis (nec ut idem laterales, intrafoliacei). An forte *Stellaria* quaedam? Etiam alias plantas sub hoc nomine in herbario habui, quae uberius examinandae, uti *C. aquaticum* in horto et Pesthina in fossis crescens. β . habeo varietatem *latifoliam* calycibus glabris, obtusis; petalis calyce plus quam duplo longioribus, minime profunde bilobis, foliis (dentis supremis)

petiolatis, glabris, subciliatis; caule superne pedunculisque pubescentibus. An distincta species?

961. *C. obtusatum* mihi.

Radix perennis. Caules basi decumbentes, ramosi, perennantes, qui inde ascendunt, partim steriles futuro anno fructificaturi, partim floriferi, 1 1/2 — 2-pollicares simplicissimi, uniflori, pilis patentibus hirsuti. Folia obovata, obtusa cum mucrone vix notabili, pilis longis, nitidis, articulatis utrinque et margine obsita, propaginum seu caulium steriliū subrotundo-obovata, obtusissima. Pedunculus terminalis, uniflorus, ebracteatus, pilis subviscidis canescens. Calyx pilis longis hirsutus, foliolis margine apiceque albo-membranaceis, elliptico-ovatis, obtusis. Petala obcordata, calyce fere duplo longiora, striata. In quibusdam speciminibus folia oblonga angustiora. Qualis sit capsula interrogandus Genersich, qui pro *C. alpino* misit, ast simul interrogavit: „Nonne potius *C. latifolium*?“ Etiam Mauksch pro *C. latifolio* misit, ad rivulos alpe crescens. Si capsulae sunt oblongae, potest esse *alpini* varietas.

962. *C. microcarpum* mihi.

Radix . . . Caules erecti, aut ascendentes, basi stoloniferi, subsesquipedales, teretes, pilis patentibus hirsuti, dichotome paniculati. Folia ovato-lanceolata, acutiuscula, pilosa. Flores in panicula laxa: pedunculis semipollicaribus, brevioribusve dense pilis brevibus, patentissimis obsitis, ebracteatis bracteatisque; bracteis lanceolatis, obtusis, acutis, dorso pilosis, margine apiceque membranaceis, calycis foliola lanceolata, acuta, dorso pilosa, margine apiceque membranacea. Petala bifida, calyci aequalia. Stamina 10. Styli 5. Capsula subrotunda minima, 10-fide dehiscens. A Wolny missum cum caractere generico et quaestione an *Cerastium*? A me in Choës observata.

963. C. Szalabérense interea mihi.

Radix perennis, ramosa, pallide fuscescens. Caules erecti, aut basi decumbentes, subpedales, pilosi: pilis reflexis. Folia lanceolato-linearia, acuta, pubescentia, scabriuscula. Flores in panicula terminali, dichotoma, densiuscula: pedunculo communi supra supremum foliorum par cum 3 — 4 pollic. prolongato, pubescenti-tomentoso seu pilis brevissimis subviscidis ramis paniculae pedicellisque similiter vestitis, magis viscidis. Bracteae phyllae lanceolata, obtusiuscula, dorso brevibus subviscidis pilis pubescentia, posteriora margine apiceque membranacea. Corollae calyci aequales (secunda saltem in scheda notaveram): petalis bifidis. Stamina 10. Styli 5. Germen globosum. Capsula . . . Ad Szalabér lectum.

964. C. caespitosum mihi.

Inter plantas itineris croatici descriptum: priori simile, sed petalis calyce longioribus diversum, lectum in aggere silvae versus Nagy Szöllös non procul monte Somló, in agris, aggeribus in Muraköz et ad Magno Varadinum. Misit etiam Genersich. β . simillimum herba humiliore, corollis majoribus in alpe Plissivica legimus.

965. C. latifolium?

Huic certe maxime conveniunt, quae Smith in Fl. brit. de hac specie scribit, licet definitio Linnaei, qui folia subtomentosa dicit discrepat. Radix perennis. Caules ascendentes, digitales, palmaresve, parte decumbente, perennante, ramosi, herbacei, simplicissimi, pilis patentibus brevibus sat dense obsiti, in siccis speciminibus subsulcato-angulati. Folia internodiis caulinis breviora, ovata, apice prominente obtusiuscula, obsolete nervosa, scabriuscula. Flores magni, plerumque bini: terminalis et lateralis; pedunculis aphyllis, pilis longioribus, quam in foliis canescentibus, laterali longiore,

ex axilla foliorum penultimorum enato. Calycis foliola elliptica, ovata, obtusa, margine apiceque albo-membranacea, inferiore parte pilis longiusculis pubescentia. Petala nivea, calyce plus quam duplo longiora, obovata. Stamina 10, filam. albis setaceis, anth. pallide flavis. Germen subglobosum, glabrum. Styli 5 albi, filiformes. Capsula Qualis sit capsula interrogandus Mauksch, qui sub hoc nomine miserat. Habitat in frigidissimis alpium saxosis passim. Julio. Smith caules longe humiliores quam in *C. alpino*, dense foliosos, scabros, unifloros: folia elliptica v. subovata, pedunculos longitudine fere caulis scabras dicit, quae non bene conveniunt stirpi nostrae.

966. *C. grandiflorum*. Pl. rar. Hung.

In alpebus Croatiae: Szilág, Mali Visszocsica, Szenszkiput

967. *C. ciliatum*. Pl. rar. Hung.

In valle subalpina Szenszkiput.

968. *C. biflorum* mihi.

Radix 24. Caules plures, in cespitem conferti, ascendentes, 2 — 3-pollicares, inferiore parte glabri, superiore successive densius pubescentes pilis subreflexis, superioribus brevioribus subviscidis, uni- — biflorisque, qui casus posterior frequentissimus. Folia lanceolata, obtusiuscula, glabra, superiora basi subciliata. Pedunculi brevissimis pilis, iisque subviscidis pubescentes; terminalis ebracteatus, lateralis longior bracteis lanceolatis, acutiusculis, dorso subpubescentibus, ciliatis instructus; quales binae etiam ortum communem utriusque pedunculi stipant. Calyces basi subpubescentes: foliolis elliptico-ovatis, obtusis, ciliatis. Petala calyce longiora, biloba. Stamina 10, filam. albis, setaceis. Anth. flavescens. Germen subrotundum. Styli 5. Capsulae Willdenow scripsit: „sollte es von der *Stellaria multicaulis*

verschieden sein?“ Est utique diversum, cum stylos 5 habeat, uti et aliis notis. Habitat ad rivos alpestres Scepusii ubi Majo floret. A Mauksch pro *C. repente* missum.

969. *C. manticum*. Pl. rar. Hung. *C. Kitaibeli* Schrank in praef. ad catal. horti Landshut. pro a. 1805. pag. VI.

„*C. manticum*. Caulis erectus, ramosus. Petala obtusa. *C. Kitaibeli*. Caulis debilis, subsimplex. Petala lanceolata, acuta.“ Schr. l. c. In herbidis et arvis Croatiae (inter Carlostadium et Voinich, atque ad Korenicam), Slavoniae (ad Essekinum); e Sirmio misit Buday.

970. *Dianthus compactus* mihi.

Radix perennis, ramosa, fusca, superne plures caules agens, basi decumbentes, radicantes. Caules inde erecti, spithamaei, pedales altioresve, simplicissimi, glabri, laeves, vix notabiliter striati. Folia lanceolata, trinervia, laevia, glabra, pilis brevibus ciliata, basi in petiolum angustata, caulina acuminata, inferiore petiolorum parte in vaginam connata: petiolis latiusculis, ciliatis. Flores numerosi; brevissime pedunculati, compacti dense conferti, foliis lanceolato-linearibus et bracteis lineari-subulatis, utrisque flores excedentibus et ciliato-serrulatis, stipati, bracteis atrorubentibus, striatis. Calyces glabri, laeves, atrorubentes, striati, laciniis lanceolatis, acuminatis, margine subnudis, inferiore parte vix notabiliter ciliatis. Bractee seu potius squamae calycinae e basi ovata in cuspidem subulatum, calycem excedentes prolongatae. Petala purpurea, obovato-cuneiformia, dentata, versus faucem ubi videtur, aliquot pilis adpersa. Habitat in graminosis alpium Bereghiensium Polyana dictis, Szathmáriensium Rosály et Guttin, Marmarosiensium Petrosae et Pop Iván.

Similem habeo ex itinere slavonico, saltem ut schedula adjuncta innuit; sed dubium movet, quod similis in silvis

Croatiae et Cottus Sümeghiensis sit distincta species nimirum.

971. D. barbatus.

Caulis erectus, pedalis, aut paulo brevior, superne pro inflorescentia in 2—3 ramos divisus, non raro etiam ex una alterave axilla inferiore ramum exserens, striatus scabriusculus. Folia lanceolata, acuta, basi in petiolum angustata, obsolete trinervia punctis prominulis scabra, margine serrulata. Petioli caulini inferiore parte in tubum amplexicaulem conati, margine membranaceo ciliati. Flores fasciculati, in fasciculis distincte pedunculatis subsessiles. Bractee fasciculos stipantes, eodem subaequantes, aut excedentes, dorso striato-nervosae, laeves, inferiore parte marginibus membranaceae, ciliatae. Calyx prope excolor, nervoso-striatus, glaber, laevis, laciniis lanceolatis subulato-acuminatis, margine inferne membranaceis, subciliatis. Petala purpurea, obovato-cuneiformia. Squamae calycis ovato-subulatae, marginibus inferne membranaceis, subciliatis. Habitat in silvis et dumetis Cottus Sümeghiensis et vicinae Croatiae, Slavoniae, in pratis ad Németyvár Clusius, cui est *Armerius simplicibus flore pannonic. Hungaris Isten nyila.*

972. D. banaticus vel trifasciculatus.

Similis sequenti a quo tamen diversus videtur. Radix perennis. Caules erecti, sesquipedales, simplicissimi. Folia numerosa eadem tegentia, internodiis triplo longiora, subtripollicari-lineari-lanceolata, acuta, 7-nervia, utrinque glabra, laeviaque, marginibus serrulata, basi angustata, ibidemque margine membranacea, laevia non ciliata seu serrulata, in brevein tubulum connata. Flores aggregati, in tres fasciculos, dense congestos conferti, subsessiles, fasciculis pedunculatis: pedunculis plerumque vix unam duasve lineas excedentibus, aliis etiam $\frac{1}{4}$ pollicis longis. Inflorescentia stipata

binis quaternisve foliis fasciculos excedentibus et insuper bracteis linearibus, glabris, laevibus, nervosis, margine scabrisculis, flores excedentibus, brevioribusque atque aequalibus. Calyx nervoso-striatus, glaber, laevis, pallidus, superiore parte communiter obscure purpurascens: laciniis lanceolatis, acutis, margine subciliato - scabris, basi tectus squamis 4 appressis, subovatis, medio nervoso-striatis, margine membranaceis, non ciliatis, glabris, laevibus, mucronatis cuspidate subulata, calyce paulo brevior, non raro eundem aequante. Petala purpurea, inciso-dentata, in unguem cuneiformiter angustata, glabra. Stamina fauce longiora. Germen cylindrico-clavatum: styli filiformes tamen excedentes. Habitat in Banatu. Differt a *D. collino* fere ut *D. compactus* a *D. barbato*: nimirum caule foliisque glabris, laevibus, his 7-nerviis, internodia excedentibus (quae in *D. collino* internodiis superioribus breviora sunt), floribus multo pluribus trifasciculatis; foliis floralibus bracteisque multo longioribus, scabris; squamis calycinis longioribus, margine glabris, nec ciliato-scabris. Rectius diceretur *D. trifasciculatus*. Si bene memini, occurrit in fruticetis ad thermas Herculis.

973. *D. collinus*. Pl. rar. Hung. I. t. 38.

Budae in montibus, aliis mediterraneis, in collibus arenosis nonque sterilibus, in Matra (Gyöngyösium, Parád, in ipsius montis Galyae vertice) etc. In Banatu, Cottu Castriferrei, in montibus Tokayensibus, Szathmariensibus etc. — Hic saepe ramulum unum alterumve ex axillis foliorum superiorum praeter fasciculos terminales profert, quod in praecedente non observavi. In locis aridis non raro occurrit pauciflorus (floribus 2 — 4), etiam albis in Galya monte Matrae legi. Varietas pauciflora videtur esse *D. asper* W. β . *glabriusculus*, glabritie ad *trifasciculatum* accedens, sed reliquis notis distinctus.

974. *D. Carthusianorum.*

In graminosis siccis fere ubique, etiam in saxosis montanis. Caulis spithamaeus, sesquipedalisve, obtuse 4-angulus: folia margine serrulato-scabra, basi connata vaginantia. Legi in pratis inter Palásd et Csábrágh, in monte arcis Munkács, in pratis ad Ránk, in Cottu Barany etc. Wolny misit varietatem involuero capitulum excedente. Ipse etiam involucri longioribus ad Csáktornyam. Ergo involucrum capitulo brevius non est nota constans, adeoque e definitione delendum. In Szitnya monte occurrebat involuero capitulum aequante, brevioraque. Floribus albis ad Sztári in Cottu Zoliensi lectus est. In silva vallis Dominorum capitulis bifloris plura specimina reperi, et in Cottu Arvensi caule digitali, palmarive, 3—4-floro.

In alpe montium Velebich, Szilagh dicta legimus *D. Carthusianorum* involucris capitulum aequantibus; squamis reliquis calyce paulo brevioribus, quem ideo pro *atorrubente* habuimus, a quo vero foliis nervosis distinguitur. Caulis huic tetragonus, foliaque glabra, laevia, vix notabiliter margine scabriuscula.

975. *D. atorrubens?*

Sed folia 5-nervia, videtur ergo diversus, mihi *D. tetragonus* dicendus. Caulis tetragonus, lateribus striatis, glabriusculus, erectus, sesquipedalis, simplicissimus. Folia linearia, subseptemnervia, nervis duobus marginalibus obsoletis, 2—3-pollicaria, acuta, glabra, laevia, marginibus serrulata, scabra, basi in tubum semipollicarem longioreque connata. Capitulum florum constans foliolis 4, ovatis cuspidatis, glabris, laevibus, striatis, ut videtur capitulo longioribus. Nondum florentem legi Essekinum. Forma et statura omnino accedens ad *D. atorrubentem*.

976. *D. sabuli* mihi, *D. autumnalis* mihi, vel aptius *D. diutinus*.

Radix perennis, spithamaca longiorve, ramosa, fusca. Caules ex eadem radice in planta spontanea pauci (1 — 3), erecti, spithamam raro aequantes, simplicissimi uniflori, obsolete 4-anguli, glabri laeves, articulis 4 — 6 interstincti. Folia angustissima, triangulo-canaliculata, enervia, acuta; carina marginibusque scabra, caeterum laevia, glabra, glauca, radicalia in fasciculos (rudimenta caulium futurorum) collecta, saepe digitalia acuta et 4 — 5-pollicaria, caulina internodiis breviora, basi dilatata in tubulum vaginantem demum sulcatum connata. Flos terminalis, solitarius, erectus. Calyx tubo cylindraco, superne tenuissime striato, laevi, glabro, plerumque purpurascente, apice 5-fido, in dentes obtusiusculos, distinctius striatos, basi cincto squamis 4 — 5 obovatis, mucronatis, submembranaceis, albidis, adpressis, calyce triplo brevioribus. Petala limbo patente, pallide rubro, subtus pallidiore, calyce plus quam duplo breviora, obovata, obtuse inaequaliter dentata, supra (ad faucem) nuda, albida, lineari, superne nonnihil latiore intus canaliculo exarato. Stamina demum fauce longiora, petalis breviora, filamentis albis, filiformibus, receptaculo germinis insertis, filiformibus: antheris oblongis coerulescenti-cinereis. Germen oblongum, basi tenuius, viride, glabrum, laeve, nitidum. Styli longiores, albi, interiore latere planiusculi, nonnunquam terni. Capsula 4-dentata. Habitat in clivis arenosis infra Kis Telek Cottus Csöngradiensis et ad Potharaszt, *D. attenuati* descriptio in Act. Soc. Linn. Lond. 2. p. 301. huic nostro fere convenit: sed *attenuato* caules sunt diffusi, basi lignosi, tortuosi, ramosissimi, r. apice floriferis ascendentibus pedalis apice in ramulos 2 — 3 divisus, corolla crenata. Smith l. c.

977. D. Armeria.

In silvis caeduis et fruticetis montanis frequens.

978. D. geminatus mihi.

Est *D. furcatus* Balb. act. taur. 7. p. 12. t. 2. DeC. gall. 4. 743. *D. geminiflorus* Loisel. fl. gall. 726. vid. Spreng. pl. min. cogn. pug. II. 63.

Habitat ad Modruss in fruticetis. Eundem etiam Tergesti legi.

979. D. superbus.

In paludosis, uliginosis e. c. in Hanság, ad rivum Rákos versus Keresztur, in palude Ecsediensi atque in graminosis subhumidis inter frutices, in Cottu Liptoviensi sub Krivan, et in Scepusio, uniflorum in alpibus Scepusii, legit Mauksch, pauciflorum in alpe Kriván offendisse, valde ramosum et multiflorum ad Keszthely legit Nesselthaler; legi etiam in Bakony, in Syrmio, in Cottu Sáros et Gömör; in limitibus agrorum sterilibus subalpestrium et subalpinis asperis Mauksch.

980. D. deltoides.

Habitat in graminosis siccis e. c. infra Bagh, ad Bánk Cottu Nogradensi. Ad Vörösvár Cottu Posoniensi, in Cottu Scepusiensi ad margines agrorum; ad Erdő Bénye, in Gálya monte Matrac.

981. D. hortensis. Schrad. ind. hort. gött. et Willd. En. pl. hort. ber.

Habitat in rupibus calcareis Budae, ad Csákvár etc. Flores suaveolentes. Lumnitzer pro *D. virgineo* habuit, ut e speciminibus communicatis video. In horto cultus ramosus, multiflorus. Caulibus unifloris e Scepusio eundem misit Mauksch sub nom. *D. plumarii*.

982. D. hungaricus. Pers. Syn. I. 495. *D. arenarius* Townson Travels in Hungary t. 16.

Priori perquam similis, sed caulibus etiam in culta

planta unifloris, raro bifloris, 4-angulis; squamis calycinis binis, ovatis acuminatis, longioribus diversus. Inveni ad arcem Hrádek in rupibus, misit etiam Mauksch et Genersich; quorum posterior notat eum *D. silvestri* convenire! Hinc mihi *D. praecox* dictus.

983. *D. serotinus*. Pl. rar. Hung. II. t. 172. *D. arenarius*.

In clivis arenosis sterilissimis per Cottum, Pestiensem et Jazygiam, nec non ultra Tibiscum e. c. ad Namény. Ad Maroth infra Strigonium non procul Danubio in arena mobili legi specimina multiflora; in monte aquilarum idem occurrit foliis paulo latioribus, magis glaucis: corollis eum paucissimo tinctu rubello.

984. *D. virgineus*.

Variat caulibus unifloris, bifloris, ramosis multifloris, et corollis purpureis albisque. Ad Tergestum in rupibus caulibus plerisque ramosis multifloris, in Merszin 1—2-floris, in Jadrina Polyana et Visszosica unifloris, in binis postremis locis corollis albis.

985. *Dianthus condensatus* mihi.

Sub nomine *D. caespitosi*, quod jam alteri speciei tributum est descriptus inter plantas Croatiae, ubi in rupestribus calcareis alpinis et subalpinis crescit, scil. in Merszin, Vilena draga, Jadrina Polyana, et in alpihus Velebich. Diversus a *D. hortensi* potissimum squamis calycinis acuminatis, et petalis dentatis, caulibus subunifloris; a *D. praecoce* = *D. hungarico* Pers. squamis calycinis acuminatis, quaternis.

986. *D. petraeus*. Pl. rar. Hung. III. t. 222.

In rupibus calcareis Banatus e. c. ad arcem Bé, ad Szászkam, thermas Herculis etc.

987. *D. nitidus*. Pl. rar. Hung. II. t. 191.

In alpe Chocs ipse detexi; ad Szullyo reperit Rochel

Omnino affinis *D. alpino*, a quo sollicite distinguendus erit, cum descriptio ejus repetetur.

988. *D. alpinus.*

Sub cacumine Lomnitzensi et in Kriván ipse legi; e Scepusio misit etiam Mauksch et Genersich.

989. *Gypsophila repens?*

Folia cum Jacquino rectius linearia, quam cum Willdenow lanceolata, dicunt. A Genersich. A Mauksch sub nomine *G. fastigiatae* missa.

990. *G. paniculata.*

In locis arenosis siccis, potissimum aggeribus, ad Maróth infra Strigonium, ad Vetero-Budam, Pesthini etc.

991. *G. arenaria.*

Desunt specimina. In clivis arenosis.

992. *G. muralis.*

In arvis et agris post messem in duris arenosis et in salsis Cottus Békés et Szabolcs, ad Paráđ etc. Caules et folia scabriuscula a punctis elevatis densis. Pedunculi laeves e dichotomia enati declinati. Ad Erdőbénye, Munkács, in Cottu Heves, Abaujvár et Sáros, etiam e Scepusio missa a Genersich, in Banatu, Jazygia, Marmatia, Cottu Szathmariensi.

993. *G. Saxifraga.*

Caules et folia scabriuscula, haec brevissime ciliata, basi connata, superiora basi marginibus membranacea. In montibus apricis e. c. Somlyó, Bádacson; in arenosis e. c. ad Sio Fok, in pascuis siccis Cottus Mosoniensis. Floret Junio, Julio. In arena ad Balatonem, in praedio Kák, in Banatu.

N. B. An *Gypsophila muralis* e salsis sit *G. serotina* Willd. en. pl. hort. ber., cui et huic meae folia internodiis longiora sunt, et petala emarginata, quae in sicco non distinguo, inquirendum in plantam vivam.

994. *Saponaria officinalis*.

In aggeribus, inter vineas, in arenosis, agris.

995. *S. Vaccaria*.

Inter segetes.

996. *Silene gallica*.

Si fructus non essent erecti, pro *S. anglica* habuissem; sed et aliae notae, quas Smith *anglicae* tribuit, in nostra desiderantur: caulis nempe flexuosus, folia lineari-lanceolata, acuta, nec petala sunt integerrima, qualia Willdenow eidem tribuit. In agris Cottus Sáros Scepusii. Etiam ad Rákócz in Croatia. Caulis non semper ramosus. Etiam a Rochel sub n. 357. pro *S. gallica* cum? missa: is addit: se primas 3 *Silenes Willdenowii* non seire distingui. In humidis Cottus Arvensis, inter Kubin et arcem Arvam ego, in turfosis agris Scepusii Mauksch reperit. Ego notavi petala oblique flexa esse. Quam Rochel misit ad Rownye in argillosis agris crescit. Pro *S. conica* misit Genersich.

997. *S. cerastoides*.

Ex alpibus carinthiacis acceptum specimen meo, quod ex alpe Petrosa est, valde simile et caule spithamaeo simplicissimo, unifloro, glabriusculo. Folia lanceolata, acuta, inferiora inferne angustata, utrinque scabra, brevissime ciliata. Flos terminalis. In specimine carinthiaco folia sunt paulo altiora, similia; sed caulis villosus.

998. *S. nemoralis*.

Quam Rochel sub nomine *S. clavaecarpae* in siccis ad pedem montis Malenicza Cottus Trencsin, et *viscosissimae* in valle Liptoviensi Malusina lectam misit, semel jam sub nomine *Cucubali italici*? missam, videtur eadem esse.

999. *S. nutans*.

Caules saepius erecti, nec nisi tum, cum plures ex eadem radice, laterales ascendentes; etiam Smith in Fl. brit. erectos

dicit; ergo nota: caule ascendente delenda. In montosis apricis etiam in silvis Budae, ad Hansabég sub vineis. In monte Gizdenovo Brdo supra Orahovicam Slavoniae occurrit. *β. caulibus brevioribus* foliisque brevissime pubescentibus, adeo ut nonnisi per lentem pili brevissimi observari possint; foliis non tantum radicalibus, sed et caulinis petiolatis, caeterum, ut in definitione ponunt, scabris. In alpium Rosaly et Guttin graminosis. *γ. hirsutior* et serius florens (nimirum sub finem Junii) in silva Temesvariensi.

1000. **S. infracta.** Pl. rar. Hung. III. t. 213.

In Scepusio. Specimina desunt.

1001. **S. longiflora.** Pl. rar. Hung. I. t. 8. et Ehrhart.

Inter silvas Budenses, locis etiam lapidosis, in pratis Banatus e. c. in silvam Jakubensem non procul Pancsova.

1002. **S. viridiflora.**

In silvis et fruticetis Cottus Szaladiensis, Sümeghiensis, Syrmiensis, Baranyensis et Banatus. A Wolny missa sub n. 48.

1003. **S. conica.**

Caulibus solitariis vel pluribus ex eadem radice: digitalibus, spithamaeis, simplicissimis, 1 — 2-floris vel ramosis multifloris variat. In arenosis Pesthini alibique frequens.

1004. **S. dichotoma.** Ind. hort. Pesth. f. 8. Ehrh. Beiträge VII. p. 143. Pl. rar. Hung. I. t. 29.

In arvis montanis, locisque graminosis apricis siccis Budae, a Hosszu-Hetény in Cottu Baranyensi, inter vineas, in pratis et arvis Banatus.

1005. **S. baccifera.**

In nemoribus et sepibus Cottus Pesthiensis, Hevesiensis, Szathmariensis, Syrmiensis, Scepusiensis, ubi in salicetis rarior occurrit.

1006. S. maritima.

Caules ramosissimi, diffusi, glabri, ramis floriferis erectis. Folia lanceolata, acuta, glauca, glabra, punctis elevatis (in speciminibus siccis) scabra. Variat: a) Ramis paucifloris (1—3-floris); foliis angustioribus, margine glabriusculis et remote breviterque ciliatis, qualis ad thermas Herculis in umbris inter lapides calcareos occurrebat. b) Ramis multifloris, (4—10—12-floris) foliis latioribus, densius longiusque ciliatis; qualis ibidem sub rupibus loco fertiliore occurrebat et in horto nascebatur. Est autem verus Cucubalus, si defectus coronae faucis hoc genus distinguit; nam raro adest vestigium coronulae.

1007. S. marginata v. Cucubalus marginatus mihi.

Radix perennis, ramosissima, albida. Caules ramosissimi, inter acervos lapidum diffusi, eaque parte perennantes, inde erigentes ramos, aut si mavis caules palmares aut spithamaeos, simplicissimos, unifloros, teretes, glabros, laeves, glaucos. Folia subrotundo-ovata, brevissime mucronata, utrinque punctis eminentibus scabra, glauca, glabra, margine diaphano albido, laevi, glaberrimo cincta, inferiora basi angustata subspathulata. Flos longe pedunculatus, erectus, bracteis submembranaceis binis a flore remotis, acutis, pedunculum in medio stipantibus. Calyx ovatus, inflatus, substriatus, glaber, laevis, subdiaphanus venosus, livide purpurascens cum rore glauco: dentibus obtusiusculis, albo-marginatis. Petala alba, semibifida, laciniis sublinearibus, obtusis, versus unguem dilatata, fauce omnino nuda, unguibus latiusculis, receptaculo germinis supra basin calycis prominenti insertis. Stamina exserta: filamentis setaceis, eidem receptaculo cum petalis insertis; antheris oblongis, pallide flavis. Germen subrotundum, glabrum, apice velut operculo flavo tectum. Styli tres, filiformes, albi. Habitat in ruinis alpium Velebich,

copiosum sub cacumine Bádány. In diario itineris croatici sub *Silenes maritimae* nomine occurrit.

1008. S. noctiflora.

In silvis caeduis saepe bi- -- tripedalis, in agris et arvis humidis spithamaeus, simplicissimus, pauciflorus. Pili caulis, foliorum, pedunculorum et calycum articulati.

1009. S. pauciflora mihi.

Radix annua, subsimplex, tantum inferne fibras aliquot exserens, vix ultra 2 pollices longa, sordide albens. Caulis solitarius, erectus, aut geniculo plus minus infracto ascendens, digitalis, palmaris, aut paullo altior, nunquam spithamaeus, simplicissimus, 1 — 2-florus, teretiusculus seu subangulatus, pilis patentibus villosus, nonnumquam ex axilla una alterave ramum uniflorum exserens, unde vegetior planta dichotoma terminat, triflorus. Folia pubescentia ciliataque, inferiora, ut in plerisque, basi angustata, extrorsum latescentia, subspathulata, mucronata, superiora lanceolata, basi submembranacea connata, nodum articuli caulini amplexantia. Flores caulem ramulosque laterales terminantes, fere *S. noctiflorae*, ratione plantae magni; pedunculis teretibus, pubescentibus, terminali calycem subaequante, laterali brevior. Calyx floris cylindraceus, 10-angulatus; angulis pilosis, viridibus aut obscure rubentibus alternis ramosis, inter angulos albidus, glabriusculus, apice ad $\frac{1}{4}$ et ultra 5-fidus: dentibus sublinearibus obtusiusculis. Corolla mediocris: unguibus petalorum calycem notabiliter excedentibus, pallide viridescentibus; laminis patentibus, pallide roseis, ad medium bifidis; coronula faucis alba, erosa. Fructus ratione plantae magnus, obovatus: capsula calyce tecta, ore 6-fido dehiscens, semi-trilocularis. Semina subrotundo-reniformia, ad lentem punctis eminentibus in lineolas dispositis, scabriuscula. Floret sub finem Septembris in agris Cottus Abaujvariensis, inter

Garadna et Forró primum observata, eo tempore vix aliquot capsulas maturas exhibens. Affinis *S. noctiflorae*, sed diversa: statura multo minore, caule simplici paucifloro; calycibus minus profunde fissis; florescentia serotina; unde et *serotina* nominari posset. An prioris varietas?

1010. *S. flavescens*. Pl. rar. Hung. III. t. 175.

In rupibus ad Szászkm Valachorum prope arnem Bé.

1011. *S. Armeria*.

Ad Oraviczam, Csiklovam, et in monte Kossovicz ad metallifodinam Glück auf.

1012. *S. alpestris*?

In montis Merszin valle, per quam ad Vrdo descendimus. Est *S. pusillae* varietas: nam folia ciliata.

1013. *S. pusilla* mihi. Pl. rar. Hung. III. t. 213.

In fissuris rupium calcareorum sub Plissivica, in Jadrina Polyana, in Viszszochica. Seminum margines lacero-ciliati, quam notam etiam Scopoli de *S. alpestri* adfert carn. II. n. 519. An Scopoli hanc nostram pro *S. alpestri* habuit?

1014. *S. scabra* mihi.

Radix perennis, ramosa, fuscescens. Caules ex apice radices plures per muscum diffusi, hac parte perennantes, lignescentes, inde prominentes cauliculi plures steriles, foliorum fasciculo constantes, fertilesque; hi erecti digitales, simplicissimi, aut quod frequentius dichotomi: pedunculis lateralibus non raro bifloris, glabri, inferiore parte a punctis eminentibus scabriusculi, superiore laeves, sub dichotomia subviscidi. Folia lanceolata, obtusiuscula, utrinque punctis eminentibus scabra, glabra, marginibus inferiore parte ciliata, superiora linearia, tota brevissime ciliata. Flores erecti in pedunculis glabris, subviscidis. Calyces obovati, pubescentes, dentibus obtusis, albo-marginatis. Petala alba, biloba.

Capsulae calyces excedentes, ovatae, ore sexfido dehiscentes. Semina subreniformia, compressa, fusca, dorso margine lacero-dentato cincta. Habitat in alpinis Cottus Arvensis. Differt a *S. rupestri* cui proxima, caule foliisque punctato-scabris, his ciliatis; calycibus pubescentibus, capsulis ovatis. In meridionali latere alpium Arvensis Babia Gora dictae.

1015. *S. petraea*. Pl. rar. Hung. II. t. 164.

In rupibus calcareis ad thermas Herculis in valle Proláz, Tabulam Trajani et versus spec. taumanticum supra Ogradinam. — Willdenow, cui sub A. 21. missa pro *S. Saxifraga* habet. Notae differentiales in opere meo (Pl. rar.) indicatae constantes sunt, et praeterea haec serius floret, quam *S. Saxifraga*, utpote quae in horto jam Majo et initio Junii plures flores apertos gerit, dum *S. petraea* nostra primo sub medium ejusdem mensis florere incipit. Folia inferiora *S. Saxifragae* sunt obverse lanceolata.

1016. *S. Saxifraga*. Pl. rar. Hung. II. t. 163.

Et huic et praecedenti caulis basi perennans, lignescens, plures cauliculos herbaceos erectos edens, scabriusculos. Folia utrinque linearia, acuta, in siccis speciminibus scabra, glabra, marginibus ciliato-serrulata, patentia. Flores solitarii aut bini, laterali terminalem demum excedente. Calyces clavati, glabri. Sed praecedens multo magis basi ramosa, caulibus in densum caespitem confectis brevioribus. Folia *Saxifragae* latiora, longius ciliata. Calyx longior, dentibus acutiusculis, praecedenti obtusis, membranaceis; *Saxifragae* pedunculi viscidi, *petraeae* sicci; illi petala subtus obscure rubentia, huic viridi-flavescentia. Posterior in subalpinis Velebich, in Jadrina Polyana occurrit, et in Szilág atque Velki Urly.

1017. *S. acaulis*.

Acaulis utique non est, verum caulibus plurimis in den-

sissimum caespitem confertis, semipollicaribus, pollicaribus, quin et bipollicaribus. Folia ciliata. Petala coronata. Habitat in alpinis Scepusii unde a Mauksch et Genersich; ibidem et ipse legi in valle alpina Völk supra parvum stagnum catarractae subjectum. Folia carnosae. Calyx glaber, laevis. Petala emarginata integrave, subtus lineis impressioribus, supra in binos dentes eminentibus, coronulam mentientibus.

1018. *Lychnis Flos cuculi.*

In pratis humidis.

1019. *L. quadridentata.*

Ad rivulos alpis Kriván, Cottus Scepus., Arvens. et Marmaros., ubi in Petrosae latere, inter ortum et septentrionem, plus quam pedalis longitudinis copiosa occurrebat. Mauksch in valle Völk inter sata pone catarractas rivuli legit, sub nom. *Silenes* misit, addens: *L. alpestris* Host est *viscida*.

1020. *L. Viscaria.*

In pratis siccis.

1021. *L. alpina?*

Floribus plenis, tantum binis in apice caulis breviter pedunculatis, caeterum quidem glabra, sed foliis ciliatis, missa a Mauksch, qui interrogandus, an spontanea et an saepius repererit.

1022. *L. nivalis* mihi.

Radix perennis, primaria transversa, hinc inde radículas fibrosas edens, in fine ramosae divisa, subfiliformis. Caulis erecti aut ascendentes, simplicissimi nec nisi apice, et quidem non semper, in pedunculos paucissimos divisi, spithamaei aut paulo longiores, teretes, glabri, laeves. Folia radicalia plura, pro parte in fasciculos (rudimenta caulium futurorum) collecta, lanceolata, basi in petiolum cuneiformiter angustata, apice acutiuscula, glabra, ciliata pilis patentibus;

inferioribus longioribus; caulina (diutius summis, quae floralia dicenda), tantum duo, rarissime 4, (nonnunquam caulis aphyllus, membranaceus, ciliatus, cum rudimento duorum foliorum); linearia lanceolata, aut linearia basi angustata, connata, ciliata, pilis in inferiore parte longioribus, versus apicem deficientibus; floralia similia caulinis, sed angustiora breviora et basi dilatata margineque submembranacea, majore parte nuda, non ciliata. Flores aut terminales solitarii, aut bini, altero terminali, altero laterali, aut terni, quorum bini oppositi, aut solitarii e duabus diversis axillis. Pedunculi semipollicares brevioresve aut paulo longiores, teretes, glabri, laeves, nunc aphylli, nunc unus alterve aut omnes tres in medio pari bractearum seu foliorum reliquis similium sed minorum stipati. Calyx obovatus inflatus, submembranaceus, viridi-purpurascens, striatus, glaber, laevis, dentibus seu lobis oris obtusis. Petala magna (limbo calycem excedente) biloba, eleganter purpurea, fauce nuda, ungue albo. Stamina 10, calyce longiora, filamentis albis setaceis, antheris pallide flavis, oblongis, exaratis. Germen oblongo-ovale, una cum staminibus et petalis insistens receptaculo crasso. Styli 4 saepius 5, filiformes, albi. Capsula ovalis, ore 5-fido dehiscens. Habitat ad nives perpetuas in alpe Petrosae Marmatiae. Pro *Silene vallesia* declaravit Willdenow. Sed perperam ut descriptio docet. Conf. cum *Cucubalo alpestri* All. auct. et cum specimine.

1023. *L. dioica*.

In sepibus, pratis, versuris agrorum, marginibus et aggeribus horum, inter frutices.

1024. *L. silvestris*.

In silvis opacis e. c. montis Szántó, potissimum ad Moldavam in Banatu copiosa, ubi varietatem hujus floribus paucis ceterum vero *S. rubrae* simillimam legi. Etiam in silvis

Scepusii infra alpes, atque ad Szomolnokinum, et in Cottu Arvensi occurrit floribus rubris.

1025. Agrostemma Githago.

β . Floribus albis varietas. Inter segetes frequens, Hungaris Konkoly.

1026. A. coronaria.

In fruticetis calidiorum provinciarum Hungariae, Croatiae, Slavoniae. Lanata potius, quam tomentosa, dicenda; nam pilis longis distinctis implicatis dense obsita. Folia saepius lanceolata. Petala emarginata quidem, sed non serrata, ut in definitione dicitur, eaque rubra, nec ut in nota statuit, naturalis plantae corolla alba, medio rubra, an igitur nostra planta distincta? Syrmiansibus dicitur Kukoli divji, iisdemque vulneraria est, et pulvis foliorum vulneribus antiquis inspergitur referente Physico Syrmiansi Buday.

1027. Cucubalus Behen.

In silvis potissimum caeduis, et in pratis atque fruticetis per omnem Hungariam. E Scepusio misit Mauksch.

1028. C. viscosus.

In silvis caeduis.

1029. C. italicus?

Ad Kismartonium lectus, cum Rochel, et ab hoc mecum sub n. 369. communicatus videtur a *C. italico* diversus esse, a Rochel petendus aut quaerendus.

1030. C. multiflorus. C. hungaricus.

In pratis Pesthini et in toto tractu arenoso inter Danubium et Tibiscum. Tum in Cottu Szathmáriensi et Albensi. Host pro *C. italico* declaravit.

1031. C. sibiricus.

Ad Dégh ab Ill. Com. Festetics et L. Bar. Splényi.

1032. C. Otites.

Habitat in apricis montibus Budae, in arenosis Pesthini

et ad Sió Fok atque in Cottu Albensi, in rupestribus montium Ménesiensium et banaticorum etc. Ad balneum Ganoense locis calcareis Mauksch, qui scripsit: „si non est viscosus nescio quid sit.“

1033. *C. parviflorus*.

Ego non reperio discrimen essentielle: specimina in arenosis Pesthiensibus saepe examinata ita variant, ut discrimen nullum observem: aut igitur notae differentiales nondum certe sunt indicatae, aut ego alterutrum non nosco; is certe, quem Winterl ex arenosis Pesthiensibus Ehrharto misit, saepe notas *C. Otitis* habet.

Phytolacceae.

1034. *Phytolacca decandra*.

In versuris et marginibus agrorum Syrmii spontanea.

Malvaceae.

1035. *Kitaibelia* *) *vitifolia* Willd. Beiträge zur näheren Kenntniss u. s. w. in den neuen Schriften der naturforsch. Freunde zu Berl. 1799. II. 107 ff. et Pl. rar. Hung. I. t. 31. *Hibiscus syrmienensis* et *Wolnya* n. g. Kit. m. s.

*) *Damus* characterem generis sec. Willdenow et opus novissimum H. Bentham et Hookeri:

Calyx. Perianthium duplex. Exterius monophyllum septempartitum interiore longius, laciniis ovato-lanceolatis acutis. Interius monophyllum quinquangulare quinquedentatum; dentibus acuminatis. Corolla. Petala 5 obovata praemorsa patentia tubo staminum basi affixa. Stamina. Filamenta numerosa in tubum coacta, superne libera. Antherae subrotundo-reniformes. Pistillum. Germen depressum 5 sulcis notatum, et basi in 5 lobos divisum. Styli plurimi filiformes basi hirsuti. Stigmata obtusa. Pericarpium. Capsulae reniformes numerosae monospermae in capitulum hemisphaericum quinquelobum, lobis biserialibus; glomeratae. Semen reniforme compressum: Bei-

Radix perennis, ramosa, superne primo, vel et altero anno indivisa, indicem aut pollicem crassitie aequans, subsequis annis multiceps, non raro unciam diametro superans, aut duas prope adaequans, extus pallida, intus alba. Caules erecti, primo vel et altero anno solitarii, bi—tripedales, demum plures ex eadem radice, quinque — octopedales, proportionate crassi a digiti auricularis ad pollicis crassitiem, saepe etiam crassiores, farcti medulla alba, succo mucilaginoso plena, inferne obtuse pentagoni et subsulcati, superne teretes, et parum flexuosi, pilis albis, basi densioribus, hirsuti, ex omnibus prope alis ramiferi: ramis flexuosis, pilis albis, basi densioribus hirsuti, inferioribus brevioribus sterilibus, superioribus floriferis. Folia petiolata, alterna, utrinque pilis, subtus crebrioribus, adspersa, cordato-lobata, inferiora saepe spithamam lata, septemloba, novemnervia, superiora quinqueloba septemnervia: lobis acutis inaequaliter grosseque dentatis, rare ciliatis, pilis longioribus dentes apicesque terminantibus. Petioli longi, inferiores saepe plus quam spithamaei,

träge zur näheren Kenntniss einiger seltenen, wenig bekannten Pflanzen in den neuen Schriften der Gesellsch. naturforschender Freunde zu Berlin. 1799. II. B. 107 ff.

Et secundum G. Bentham et J. D. Hooker.

Bracteolae in involucellum 6—9-fidum basi connatae. Calyx 5-fidus. Columna staminea usque ad apicem in filamenta ∞ divisa. Ovarii loculi ∞ , uniovulati; styli rami totidem, filiformes, ramis apice intus stigmatosis. Carpella demum in capitulum congesta, maturitate pleraque abortiva pauca accreta, vix secedentia, dorso 2-valvatim dehiscentia. Semen ascendens. Herba perennis, elata. Folia angulata. Involucellum calycem superans. Flores pedunculati, in axillis solitarii v. ∞ , rosei v. albi, species 1, juxta Danubium australem crescens. DC. Prodr. I. 436. Walp. Rep. I. 290. Reichb. Ic. fl. Germ. V. t. 165. Genera plantarum. Vol. primi P. I. Londini 1862. p. 200. K.

patentes, versus folium subincurvi, semiteretes, aut subtus obtuse carinati scabri. Stipulae cauli oblique adnatae, oblique cordatae, acuminatae, integerrimae, pilis longis ciliatae. Flores magni, in pedunculis axillaribus, pollicaribus, aut sesquipollicaribus, erectiusculis, teretibus, versus florem aliquantum incrassatis: inferioribus solitariis, unifloris, inter binos ramos axillares inaequales prodeuntibus; proximis aequae solitariis, unifloris, inter binos ramos axillares inaequales prodeuntibus; proximis aequae solitariis, non raro bifloris, hinc ramo, illinc folio aut rami rudimento stipatis; superioribus denique binis, raro ternis, sine folio ramoque laterali. Calyx perianthium duplex, utrumque monophyllum: exterius interiore longius, octo-, rarius septempartitum: laciniis ovato-lanceolatis, acuminatis, integerrimis, nonnumquam aliquot dentibus subserratis, ciliatis, subtrinerviis, fere usque ad basin discretis, marginibus inferne subrevolutis angulatam formam inducentibus; interius extus ex integro, intus margine hirsutissimum, caeterum intus nudum nitidumque, ultra medium quinquefidum: lobis ovatis, acuminatis, erectis, planis. Corolla ampla, calycem excedens, candida, pentapetala: petalis obcordato-cuneiformibus, striatis, basi tubo staminum adnatis, intus margine utroque albo-barbatis. Stamina plurima: filamentis albis, inferne in tubum connatis, superne liberis, subrecurvis; antheris luteis, in rotundato-reniformem figuram concurvatis, dorso sulco divisis. Pistillum germine depresso-hemisphaerico, basi quinquelobo, hirsuto; stylis plurimis, albo-purpurascensibus, stamina subaequantibus, basi connatis hirsutis, superne liberis nudis; stigmatibus obtusis, albidis. Fructus utroque calyce persistente et connivente tectus, et stylis persistentibus coronatus, constans capsulis plurimis, monospermis, reniformibus, dorso, quo dehiscunt, sulco exaratis, nigricantibus, hirsutis, in capitulum hemisphaericum, basi

quinquelobum congestis, in series quinque conduplicatas dispositis, affixis receptaculo columnari, inferne denas flexuras, quinque sursum, totidemque alterne deorsum versas exhibenti. Semina reniformia, altero extremo crassiora, nigricantia, laevia. Inter pilos longiores, qui caulem, petiolos, folia, stipulas, pedunculos et calycem exteriorum utrinque vestiunt, dantur pili breviores, densiores, glanduliferi, visceridi. Odor totius plantae teter, nauseosus. Locis pinguibus et subhumidis seu succulentis in Syrmieni et Veröcensi. In Vucsedol legit Buday, ego infra Beocsin, ad Vukovár et in Cotto Veröcensi, Wolny ad Karlovic. Fl. Junio in autumnum.

1036. *Lavatera thuringiaca.*

In collibus apricis, fruticetis, per omnem Hungariam.

1037. *Althaea officinalis.*

Frequens in subhumidis, potissimum ad Tibiscum locis vere inundatis, et ad Danubium atque in hujus insulis (e. e. ad Semlinum), copiosissima ad Reesk in Matra: ad rivos et fossas.

1038. *A. cannabina.*

Ad frutices prope silvas. Specimina desunt.

1039. *A. hirsuta.*

Habitat in agris, aggeribus, campis.

1040. *A. pallida.* Pl. rar. Hung. I. t. 47.

Habitat Budae in montanis et vallibus silvaticis infra Té-tény, ad Oravicam, in Banatu, ad Miskolcinum prope vineas; alibique in arvis.

1041. *Malva silvestris.*

Ad sepes, in aggeribus, ruderatis.

1042. *M. crispa.*

Spontaneam legi ad Akna Baho in Cotto Marmarosiensi et Mauksch in Scepusii hortis.

1043. *M. crenata* mihi.

Post *M. rotundifoliam* ponenda. Radix annua, palmaris aut spithamaea, successive attenuata; inferiore parte ramosa, primaria perpendicularis, albida. Caulis erectus, vel 3—4-pollicaris, simplex, vel longior (fere ad spithamam), basi aliquot alios ascendentes, nonnunquam primario longiores edens, simplicissimis pilis raris adpersus, obtuse angulatus. Folia reniformi-rotundata, glabra, crenata. Petioli supra leviter canaliculati, glabri, ceterum semiteretes, hirsuti. Stipulae lanceolato-subulatae, ciliatae. Flores axillares, bini pedunculati, post florescentiam declinati. Pedunculi petiolo breviores, teretes, pilis longis, patentibus adpersi. Calycis exterioris foliola linearia, glabra, pilis aliquot apice ciliata. Interior glaber, laevis, laciniis ciliatis, ciliis singulis e denticulo enatis. Corolla pallidissima cum tinctu aliquo lilaceo vix calycem excedens. Arilli transversim rugoso-reticulati glabri. In foliis junioribus nervi pilis adpersi. Habitat in subsalsis sterilibus humidiusculis Cottus Pesthiensis et Csongradiensis.

1044. *M. moschata*.

Habitat in Slavonia, vicina Hungaria et in Croatia: ad Petrovo-Szello, Korenicam, in Bilo-Polyana et sub alpe Badány.

1045. *M. Alcea*.

In fruticetis Cottus Sümeghiensis.

1046. *Hibiscus fulvus* mihi.

Convenit cum *H. vesicario* et *Trionum*: radice annua, ramosa, albida. Caule medio erecto, lateralibus decumbentibus, ascendentibus, venisque hispidis, setis rarioribus, solitariis fasciculatisque, fasciulis e tuberculo enatis, insuper linea brevissimis densisque pilis constante notatis. Foliis supra glabriusculis aut omnino glabris, inferioribus integris, grosse

crenatis, superioribus magis magisque divisis. Petiolis tereti-
 usculis hispidulis tectis rareque supra planiusculis densius
 canescentibus. Calycibus interioribus inflatis membranaceis,
 nervosis, hispidis, 5-fidis: lobis ovatis; exteriore brevior
 polyphyllo: foliolis linearibus hispidis. Cum *H. Trionum*
 insuper convenit foliis superioribus tripartitis: differt autem
 statura minore; caulibus lateralibus magis diffusis; foliis utri-
 que glabriusculis, inferioribus subrotundis; floribus minoribus;
 corollis fulvis, subphoeniceis. A *H. vesicario* insuper differt
 foliis superioribus tripartitis, et ab *H. Trionum* eorum lobo
 medio cum eisque trilobo, laterales parum excedente; lobis ca-
 lycis interioris obtusiusculis nec acutis. Habitat in Hun-
 garia.

1047. *H. Trionum*.

Nondum mihi certa fide constat an in Hungaria sponta-
 neus; nam quae attuli specimina, sunt sequentis. D. Szon-
 tag misit e Scepusio hortis sponte occurrentem.

1048. *H. ternatus*.

Caule herbaceo humili, foliis ternatis, calycibus inflexis
 Cavan. diss. III. 172. t. 64. f. 3. Hic in Hungaria ad versu-
 ras agrorum, in aggeribus, vineis et hortis frequens, a me e
 Borbola allatus et ad Mád, Tállya, ubique in Hegyallja ob-
 servatus.

Tiliaceae.

1049. *Tilia europaea* Willd. En. pl. hort. ber. *T. grandi-
 folia* Hoffm. germ. *T. platyphyllos* Scop. carn.

Prima floret. Bracteae subsessiles, flores aequantes, aut
 excedentes.

1050. *T. flavescens* mihi.

An varietas prioris? Cortex ramulorum petiolique fla-
 vescentes, hi pubescentes; capsulae oblongo-ovatae, 5-costatae,
 tomentosae, pedunculi bracteas excedentes.

1051. **T. microphylla** Willd. *T. parvifolia* Hoffm. - *T. cordata* Mill. *T. ulmifolia* Scop.

Bracteae longius pedunculatae, floribus longiores, sed nonnunquam contrarium obtinet.

1052. **T. alba**. Pl. rar. Hung. I. t. 3.

Hypericaceae.

1053. **Hypericum quadrangulare**.

Caules et folia, praesertim margine, punctis nigris adspersa, haec insuper tenuissime pellucido-punctata. Variat: α . caule ramosissimo, foliis angustioribus, floribus numerosissimis dense confertis, quale in humidis insularum et praetorum occurrit; β . caule subsimplici, fere tantum apice in corymbum florum diviso: foliis latioribus. Folia inferiora impunctata. Caulis anguli eminentes, subalati.

1054. **H. dubium**.

In alpibus Scepusii (unde a Mauksch sub dubio et in Krivan, etiam e Raeskova Rochel, caules ascendentes simplices, ad acidulas Herleinenses. β . Foliis punctis pellucidis sparsis paucis. Ad Herlein. Etiam Csákatornyam legi foliis pellucido-nigroque punctatis.

1055. **H. ambiguum** mihi.

Radix repens, purpurascens. Caules sesquipedales longioresve, erecti, teretes cum 4 lineis eminentibus, simplices, apice tantum pro inflorescentia corymbosa divisi. Folia sessilia obovata, obtusa, integerrima, nervosa, pellucido-nigroque punctata. Calycis foliola elliptico-obtusa, integerrima, rarissime nigro-punctata. Petala oblonga, obtusa, integerrima, nigro-punctata, striata. Antherae nigro-punctatae. Styli tres. In monte Harsány Baranyensi. Habitus *H. hirsuti*. Tota planta glabra. An *H. dubii* varietas. Floret in finem Augusti.

1056. *H. repandum* mihi.

Caulibus obsolete, ramis acute 4-angulis, fol. sessilibus, ovatis, obtusis, summis acutiusculis integerrimis, margine scabris, inferne undulatis, repandis, diaphane punctatis; phyllis lanceolato-acuminatis, inpunctatis.

1057. *H. perforatum*.

Bractee phyllaque mucronata. In arvis, potissimum arenosis, alibique frequens.

1058. *H. humifusum*.

Non reperi hactenus nisi in silva N. Mihály.

C. Zemplinens. in excisa via. Caulis apice dichotomus pro inflorescentia. Pedunc. laterales saepe biflori.

1059. *H. barbatum*.

In Cottu Castriferrei ad Grusium, in C. Veszprimensis ad N. Vásony, in Sümeghiensi, in praedio Kák.

1060. *H. alpigenum* mihi.

Radix quantum memini, oblique repens, purpurascens, radículas fuscas demittens. Caules erecti aut ascendentes, pedales, quo altius in alpes ascendunt breviores, ut tandem vix spithamam excedant, inferne teretes, superne lineis binis eminentibus, a rachi foliorum decurrentibus, oppositis subancipites, simplicissimi. Folia ovata, obtusa, sessilia, siccata obsolete crenata, ad marginem punctis nigris notata, caeterum impunctata. Corymbus florum densiusculus. Flores magni, eo majores quo altius in alpem ascendunt. Bractee lanceolato-subulatae, ciliatae: ciliis setaceis, longis, vix glanduliferis. Phylla ovato-lanceolata, ovata, dense nigropunctata, ciliata, setis subglanduliferis: aliis nempe eglandulosis, aliis glanduliferis. Petala obovata, flava, tota pagina nigropunctata. Germen conicum. Styli tres. Tota planta glabra. Ab *H. pulchro* differre docet icon Oederi et de-

scriptio Halleri atque Smithii: caulibus nempe subancipitibus, simplicissimis; foliis ovatis sessilibus, impunctatis; calycinis foliolis auctis etc. Habitat in alpinis Marmarosiensibus et Bereghiensibus.

1061. H. montanum.

Descriptio Florae brit. convenit, sed caules non semper simplices: ramosa enim in Cottu Castriferrei et Abauj occurrit. Folia jam ovata, obtusa, jam oblongo-ovata, fere ovato-lanceolata (qualia in Nagyhegy ad Munkács observavi), nunc sessilia, nunc basi subcordata amplexicaulia; inferiora impunctata, superiora plus minus diaphane punctata. Foliis basi cordatis amplexicaulibus legi ad Ránk et in alpinis Velebich.

1062. H. hirsutum.

Folia variant: sunt enim elliptica, ovata, ovato-lanceolata, basi tamen semper angustata, et breviter petiolata. Caulis quandoque ramosus. Bracteae quandoque fere eglandulosae. Habitat in silvis et fruticetis Budae, Bartfae, ad N. Károly, in Scepusio, Banatu, atque in ipsis etiam alpinis Croatiae. Fl. Junio, Julio. Ex itinere Arvensi etiam adtuli.

1063. H. pulchrum.

Sed caules saepe ascendentes, pede raro altiores, iidemque ramis sterilibus saepe destituti; rami paniculae dichotomae saepius multiflori: floribus subsessilibus secundis; phylla lanceolata acuta; petala flava: nec rami paniculae (nisi raro), triflori; calycis foliola elliptica obtusa, flores aurei, extus rubicundi, ut Smith Fl. brit. Balbis sub hoc nomine calyce integerrimis misit. Habitat in silvis Banatus.

1064. H. elegans.

Sed calycis foliola ovato-lanceolata, nec lanceolata; flos intermedius pedunculorum breviter pedunculatus nec sessilis,

et pedunculi axillares multiflori, nec triflori ut Willdenow in speciebus siccis describit. Quod Balbis sub hoc nomine misit videtur diversum. *H. Kohlianum* Spreng. Fl. Hal. fors idem est. Habitat in graminosis ad Dégh. Fl. aestate.

Elatineae.

1065. *Elatine Hydropiper.*

In aquis Cottus Békésiensis et inundatis ad Boros Jenő. *β. triandra* Schkuhr. Ad Boros Jenő in inundatis Chrysi.

1066. *E. Alsinastrum.*

In aquis stagnantibus Cottus Hevesiensis ad Tibiscum e. c. in praedio Hatrongyos, Cottus Békésiensis, Aradiensis, Temesiensis. *β. latifolia*. Foliis emersis quaternis, ovatis, obtusis; floribus sessilibus. Huic semina striata, scabriuscula, perparum curvata. Legi in aqua stagnante in silva inter Borbolam et Rohrbach in Cottu Soproniensi.

Tamariscineae.

1067. *Tamarix germanica.*

Ad rivos saxosos majores alpium Scepusii, in arenosis Liptoviae et Arvae, Dravique.

Acerineae.

1068. *Acer tomentosum* v. *serotinum* mihi: an *A. austriacum* Trattin? an *campestris* varietas?

Arbor grandis, procera: trunco saepe duos pedes diametro aequante: ramis patentibus; ramulis patentissimis oppositis. Cortice seniore. Folia opposita, basi cordata, 5-loba, lateralibus subintegris, reliquis obsolete trilobis, obtusis, lobulo intermedio saepe productiore, obtusis, caeterum integerrimis, supra (tempore autumnali) levissime, subtus evidenter pubescenti-tomentosa mollissima, canescentia, 5-nervi-

venosa. Petioli basi incrassati, margine connati, foliis longiores, pubescenti-tomentosi, teretiusculi, supra vix notabiliter planiusculi. Pedunculi fructus subracemoso-corymbosi, tomentosi. Samarae non raro in eodem pedicello ternae, divaricatissimae: alis subrecurvis nervoso-venosis, glabris; nucibus tomentosis.

Polygaleae.

1079. *Polygala amara*.

a. amara, *β. fatua*. Haec caeterum simillima priori sed fatui saporis est, in alpestribus arenosis Scepusii nata. Folia caulina tam huic, quam *P. amarae* sunt mucronata, etiam in speciminibus Mygindianis; simillima ad catarrhaetam Motieskensem a me lecta. *γ*. Inter Hradek et Sz. Iván in pineto occurrit alia aut varietas, aut distincta species: caulibus spithamaeis erectioribus iisdemque et foliis margine brevissime pubescentibus, his lanceolato-cuneatis majoribus. In Rosály monte (ad limites Marmatiae) simillima lecta est.

1070. *P. multicaulis* mihi.

Radix perennis, ramosa, tenuis, flavescens. Caules ex eadem radice plurimi, decumbentes, palmares subspithamaei, tennes, basi ramosi, teretiusculi. Folia alterna in petiolum angustata, obtusiuscula, ovata, superiora ovato-lanceolata, inferiora minora. Flores in racemo terminali, secundo, 6 — 12-floro: pedicellis patentibus, demum recurvis. Bractae albo-membranaceae, caducae, intermedia pedicello longior, reliquae subaequales. Alae calycinae ovatae, obtusae, trinervio-venosae, venis viridibus, caeterum diaphanae, primum subcoerulescentes demum expallescentes, corolla longiores. Corollae congenerum cristatae, parvae coerulescentes. Habitat in silvis Croatiae, ad viam Carolinam, floret a fine Junii. Sapor fatuus. *β*. An varietas *multicaulis*? foliis utrumque

convenit, superiora tamen quibusdam mucronata, flores purpurascens. In alpibus et subalpinis montium Velebich et Plissivica.

1071. P. vulgaris.

1072. P. major.

In graminosis montanis. Ad Vécs sub Matra legit Bar. Splényi.

1073. P. Chamaebuxus.

In monte Merszin Croatiae prope Korenicam, loco lapidoso calcareo.

1074. P. monspeliaca.

Copiosa in vallibus Croatiae.

Staphyleaceae.

1075. Staphylea pinnata.

In silvis et fruticetis Cottus Soproniensis, Castriferrei, Honthensis, Neogradensis, Hevesiensis, Pesthiensis, Syrmienensis.

Rhamneae.

1076. Zizyphus Paliurus.

In sepibus vinearum Budae et (referente defuncto Fabriczy) ad Csurgo in Cottu Albensi. Copiosus in montibus Croatiae ad mare declivibus.

1077. Rhamnus catharticus.

Habitat in aquosis et siccissimis lapidosis.

1078. R. tinctorius.

In sepibus et fruticetis Syrmii atque Banatus.

1079. R. pumilus.

In saxosis montium etiam Croatiae ad lacus Plitvicenses.

1080. R. Frangula.

E Scepusio missum specimen videtur aliquantum differre.

Euphorbiaceae.

1081. *Euphorbia Peplus*.

In arvis, hortis Cottus Soproniensis, Croatiae, Slavoniae. Misit etiam Genersich. β . Umbella quadrifida, qualis in Croatia plerisque individuis erat.

1082. *E. falcata*.

Folia inferiora obtusa emarginataque, superiora obtusa cum mucrone, tandem versus paniculam acuta. Umbella non raro quadrifida, qualis in arvis Szegediensibus plerumque est, nonnunquam autem bifida. Etiam Genersich misit specimen cum umbella quadrifida: „videtur esse *E. falcata*.“ In agris post messem et in arvis e. c. Pesthini, ad Balaton, Feö Kajár, ad Szegedinum. Tum ad Füred lecta est umbella 5-fida.

1083. *E. exigua*.

Variat umbella 4 — 5-fida nonnunquam bifida: foliis acutis, obtusis cum mucrone, retusisve; nonnunquam altitudine fere pedali (velut in agris ad Maroth), aliis 3 — 4-pollicari, spithamaea. Apud nos umbella saepe est 4-fida. Rami umbellae ter — quaterve dichotomae. Ubique.

1084. *E. Lathyris*.

In hortis, ad sepes, in agris Slavoniae. Desunt specimen.

1085. *E. epithymoides*.

Budae, ad Csákvár, Moor alibique in silvis Hungariae, Slavoniae, Banatus, etiam Scepusii, unde a D. Szontag sub n. 7. Folia inferiora, non raro quandoque omnia, obovato-cuneata, apice emarginata. Radii umbellae non raro trifidi, nonnunquam 4-fidi, quale specimen sub n. 56 misit Wolny e Syrmio. Ergo umbella 5-fida, bifida non bene distinguitur.

1086. *E. méhadiensis* mihi.

(Sub nom. *E. emarginatae* Persoon in Synopsi jam aliam

habet.) Radix perennis. Caules pedales aut paulo altiores, simplicissimi (nimirum pēdunculis sub umbella axillaribus nullis), teretes inferne pilis raris longis patentibus. Folia petiolata, alterna, inferiora obovata, superiora obverse lanceolata, versus apicem obsolete sex l. lata, omnia obtusa emarginata, utrinque pilis adpersa, subtus purpurascentia. Umbella 5-fida, trifida, involucri foliolis quinis, inaequalibus, aliis radios praecedentibus, brevioribus, aliis folia caulina superiora forma aemulantibus, etiam obsolete serrulatis et subtus purpurascentibus, sed utrinque glabris, nec nisi quibusdam subtus rachi pilis quibusdam adpersis, apice tantum subemarginatis; involucellis triphyllis: foliolis ovalibus, obtusis, subemarginatis, integerrimis, aut obsolete serrulatis, glaberrimis. In fruticetis ad thermas Herculis. *E. epithymoidi* proxima, sed foliis in petiolum angustatis, aliisque diversa.

1087. *E. villosa*.

In pratis humidis Pesthini alibique. Lumnitzer perperam pro *E. pilosa* habuit. E Syrmio Buday misit specimen foliis supra glabris, subtus pubescentibus et ego legi ad Káloz foliis subtus tantum rachi perparum pubescentibus. Inquiratur an non diversa species?

1088. *E. elliptica* mihi.

E. epithymoidi affinis, aut ejus varietas, capsulis tamen minus hispidis, foliis in uno specimine sub n. 10 supra glabris, subtus pilis adpersis, ceterum glabra, in altero sub n. 11 foliis obtusioribus, supra pubescentibus, subtus pilosis, a Szontag missa, subjicienda *E. epithymoidi*. Involucra et involucella elliptica, denticulata, glabra, folia integerrima, involucella viridia.

1089. *E. dulcis*.

E Scepusio misit Mauksch, ego attuli e Slavonia, sed specimen exsiccatione non nigrescebat. In siccis specimenibus

characteres seu notas differentiales non distinguo: in uno specimine quod solam capsulam exhibet, videtur haec esse glabra laevis. Pro *E. dulci* autem determinavi in itinere Baranyensi in cuius diario fors plura notata reperientur. Inveni ad Rendek et Sümegh, tum in Muraköz atque ad Varsadinum in silvis et fruticetis. Genersich eandem, ut videtur, pro *carniolica* sub dubio misit. Etiam in umbrosis ad Darúvár.

1090. *E. ambigua*. Pl. rar. Hung. II. 135.

Host hanc determinate pro *E. dulci* seu *quadrangulari* Haenke (in Jacq. collect. descripta) declaravit. Habitat pone Rézbányam in silva, tum Korenicam, in Merszin, et in valle silvatica, per quam et hoc monte ad Vrdo descendimus.

1091. *E. obovata* mihi.

Radix perennis, ramosa, sublignosa. Caules erecti, pedales aut paulo longiores, angulati (in siccis exemplaribus), glabri, laeves, simplicesque, nec nisi sub umbella ex una alterave aut folii axillis pedunculum uniflorum promentes. Folia obovato-eneiformia, obtusa, integerrima, glabra, subtus pilis raris adspersa, breviter petiolata seu in brevem petiolum angustata. Umbella 5-fida, radiis plerumque indivisis unifloris, raro pro flore pedunculum diphyllum uniflorum edentibus, teretibus, glabris, laevibus. Involucrum 5-phyllum, radiis aequale longiusve: foliolis breviter petiolatis ovale-ellipticis, obtusiusculis, integerrimis, glabris. Involucellis diphyllis: foliolis breviter petiolatis, ovatis, acutiusculis, integerrimis, glabris. Fructum non vidi. Habitat in silvis montis Papuk et ad Darúvár in Slavonia.

1092. *E. nemoralis* mihi.

E. angulatae proxima, a qua tamen differre videtur: caule angulato quidem, sed non sulcato; foliis, ovato-lanceo-

latis, acutis, glabris; involuclis deltoideo-ovatis. Radix tuberosa, carnosae. Caules inde sub terra procurrentes inde ascendentes, nitidi. Folia distincte serrulata, inferiora successive minora, superiora ovata. Involuceri foliola radios subaequantia, ovata, acuta, serrulata, utrinque glabra. Involucella diphylla, acuta, serrulata, glabra. Petala reniformia, viridia. Capsulae . . . Habitat in silvis Cottus Szaladiensis et Veszprémensis e. c. inter Nagy-Vásony et officinam vitriariam Urkut. Etiam Com. Festetics attulit e Cottu Sümegeiensi.

1093. *E. patens* mihi.

Radix annua. Caulis erectus: spithamaeus aut et altior, culmo tritici vix crassior, basi aliquot alios ascendentes exserens, teres, calvus, a foliorum reliquiis tuberculatus, a basi indivisus, sub umbella tamen aliquot pedunculos dichotomos exserens, dense foliosus. Folia sessilia, linearia, acutissima, integerrima, patentissima, demum recurva, inferiora opposita, reliqua sparsa, superiora longiora latioraque lanceolato-lineararia. Umbella 5-fida, seu quaterve dichotoma, radiis pedunculisque patentibus, tereti-filiformibus. Involucrum 5-phyllum, involucella diphylla: foliolis utrorumque patentissimis, lanceolatis, acutissimis, integerrimis. Flores subsessiles, parvi, calyce turbinato, laevi, calvo; petalis 4 bicornibus, acutis, luteis. Stamina vix 10 numerare potui, similia in aliis speciebus: antheris didymis: more aliarum successive emergentibus. Germen obtuse-triangulum, laeve, calvum. Styli 3, bifidi. Stigmata capitata. Capsulae obtuse triangulares, laeves, calvae, lateribus sutura, angulis linea sulcata notatis. Semina . . . Misit D. Rochel Rownye sub nom. *E. dulcis*.

1094. *E. segetalis*.

Semina cinerascentia, scrobiculato-reticulata. Habitat in

arvis, et inter sata. Involucella rectius ovato-rhombea dicuntur.

1095. *E. nervosa* v. *rugosa* mihi.

Radix annua, 3—4-pollicaris, simplex, inferiore parte in ramos divisa, flexuosa, pallide fusca. Caulis solitarius, erectus, simplex, ex axillis pluribus supra medium pedunculos dichotomos edens, teres, superiore parte striatus, laevis, spithama plerumque brevior. Folia lanceolata, inferiore parte angustata, integerrima, inferiora breviora, obtusa cum mucrone, superiora acuta mucronata, omnia subtus tri- aut obsolete 5-nervia. Umbella 5-fida (non raro tantum 4-fida), bifida, bis dichotoma: radiis pedunculisque teretibus, laevibus, involucri foliolis 4—5 lanceolatis, mucronatis, versus apicem margine scabriusculis, subtus 5-nerviis; involucellis diphyllis, mucronatis, margine denticulata, scabris, inferioribus (ad primam divisionem) ovatis, 5-nerviis, superioribus subrotundo-ovatis, septemnerviis. Calyces Petala Capsulae laeves, ovatae. Semina fusca, sulcis transversis rugosa. Habitat in arvis supra Szegedinum primo intuitu pro *E. segetalis* varietate depressa habita. Tota planta glabra.

1096. *E. provincialis*.

Itaque differt caule pedali et altiore; ramis sterilibus, umbella 4—5-fida, tantum bifida, nec dichotoma; involucri foliolis ovatis, acutis; involucellis cordatis. Aliud specimen alio loco legi, structura partium praecipuarum omnino conveniens (etiam seminibus transversim sulcatis et capsulis laevibus), sed caule pedali; foliis latioribus et involucri foliolis fere ovato-lanceolatis: quam diversitatem feliciter solum inducere poterat. Caeterum in hoc observo folia infima non tantum obtusa, sed et retusa cum brevissimo mucrone esse.

1097. *E. helioscopia*.

Folia subtus, magis autem caulis superiore parte et radii

umbellae pedunculique pilis longis adpersi. In agris, hortis, vineis, ad sepes.

1098. E. verrucosa.

A Mauksch in pratis silvaticis ad Lublyoviam Junio lecta; iterum petenda et uberius examinanda. Aliam sub hoc nomine misit Genersich. Aliam denique ego legi ad Varasdinum in pratis, quae videtur vera *E. verrucosa* esse. Radix biennis aut forsitan perennis; vidi enim caules e basi caulis prioris anni enatos. Caules ascendentes, pedales, non raro breviores, teretes, striati, glabri, laeves, simplicissimi, raro pedunculum ex axilla suprema prominentes. Folia alterna, sessilia, elliptico-ovata, obtusa, demta basi serrulata, inferiora subtus pilis adpersa, superiora utrinque glabra. Umbella 5-fida, subtrifida, dichotoma vel bifida (quod in siccis specimenibus non bene distinguo), radiis brevibus, teneribus, pedunculisque glabris. Involucrum 4 — 5-phyllum, radios subaequans: foliolis plerumque obovatis, rarius ovatis, obtusis, serrulatis, utrinque glabris. Involucella subrotundo-obovata, obtusa, serrulata, glabra. Calyx obovatus, glaber. Petala reniformia, flava. Capsulae verrucosae. An simul sint *E. pilosae*, in siccis non discerno.

1099. E. pilosa?

Definitio quidem congruit, eademque etiam sub hoc nomine peregre missa; sed quae in nota Linnaeus de hac stirpe affert, non omnia exacte conveniunt: dicitur enim *palustri* major esse, cum nostra sit minor; folia utrinque vix manifeste pilosa sunt; porro umbellulae laterales nequaquam sunt nostrae ita coacervatae ut primariae difficiliter eruantur; denique capsulae nostrae non videntur verrucosae et pilis albis adpersae, verum glabrae, laevesque. Habitat in monte ad Erdő Bénye, etiam in Cottu Szaladiensis, etiam inter Zagra-

briam et Carolostadium : enersich pro *E. pilosa* misit *E. platyphyllam*.

1100. *E. platyphyllos*.

Pro *E. verrucosa* misit Lumnitzer, pro *E. pilosa* Genersich. Variat valde caule spithamaeo aut pedali altioreve simplicissimo et multis pedunculis axillaribus, foliis hirsutis et glabris etc. Umbella 5-fida, trifida v. 4-fida. β . Radiis umbellae pedunculos foliaque alterna, lanceolata edentibus. Legi in itinere banatico secundo, et tum pro nova habitam *E. foetidam* nominavi. γ . Capsulis laeviusculis(?) discrepans. Cum unicum hujus specimen a Rochel sub n. 382 habeam (lectum ad Rownye in colle argillaceo 14. Julii) et aliae notae (praeter umbellam 4-fidam) cum *platyphylla* conveniant, vix sejungenda erit, nisi cultura constans manserit. Si capsulae sunt verrucosae, eadem jam a me descripta, sub nom. affinis.

1101. *E. virgata* mihi.

In aggeribus et locis graminosis inter vineas Budenses, ad Szöllös Györök in Cottu Sümeghiensi, in arenosis pone Matram, in campis versus Debrecinum, in Cottu Békésiensi, in Croatia etc. Wolny semel sine nomine, altera vice sub n. 37, cum nomine *E. Gerardi?*, Lumnitzer autem sub nom. *E. Esulac* misit, Szontag autem indeterminatam sub n. 5. Misit etiam Genersich addens: *E. amygdaloides* videtur. β . *retusa*, foliis obtusis retusive diversa a vulgari, ad Szalatnyam in collibus lecta et inter plantas itineris Arvensis descripta. Rami steriles demum excresecunt et umbellam primariam superant, ut in aliis. γ . Foliis latioribus, versus basim angustatis, obtusis aut submarginatis cum brevissimo mucrone, apice subdenticulatis, lecta etiam ad Szalatnyam uti e facie vulgari per varietatem praecedentem vix distinguendis gradibus in hanc transit. Manksch misit sub nom.

E. segetalis? in agris siccis lectam. δ . Foliis lanceolatis, pedunculis floriferis numerosis. Ad Nyiregyháza in pratis lecta, in horto quoque nata et a Genersich pro *E. Esula* sub „videtur“ missa. In Cottu Sümeghiensi similis est lecta, foliis fere aequalis latitudinis, obtusis, superioribus brevissime mucronatis: involucris lanceolatis, involucellis cordato-reniformibus, acutis.

1102. E. Gerardiana.

In arenosis Hungariae, Croatiae, Slavoniae. Wolny misit varietatem caule pedali et sterilibus adhuc altioribus.

1103. E. Cyparissias.

Saepe folia caulina sterilium subtus obsidentur scutellis fuscis dense confertis, tum breviora; alias caules steriles angustis densissime confertis foliis teguntur. In arenosis. Qualem misit Genersich, quaerens an a *Cyparissia* diversa? talem misit etiam Szontag.

1104. E. nicaeensis. *E. oleaeifolia* Gouan ap. DeC. fl. franç. III. 338. sec. Spreng. in pl. min. cogn.

Variat foliis ovato-lanceolatis, cuneiformibus, lanceolatis, obtusis cum mucrone et acutis, canescentibus aut plus minus glaucescentibus; capsulis pilosis, pubescentibus et glabris, qualem Wolny misit, qui monendus est, eam specie non differre. Caeterum notandum est, caulem quidem nonnumquam rubescere, nequaquam tamen adeo purpureum esse, ut in Ic. pl. rar. Jacq. 3. t. 485 pingitur; praeterea folia versus apicem ad lentem esse margine denticulato-scabra. Forsitan descripta sub nom. *E. pallidac*. Habitat in clivis et collibus non arenosis Budae, Pesthini, in Cottu Nitriensi ad Báb, in Syrmieni, copiosissima in pascuis Cott. Albensis, Veszprémiensis, Tolnensis, ubi illa depravat.

1105. E. bábensis mihi.

Simillima *E. nicaeensi*. Radix perennis. Caules ex

eadem radice plures erecti, firmi, dense foliosi, subtomentosi aut potius, dum lente inspiciuntur, pulverulenti, incani, e supremis axillis pedunculos plures dichotomos patentes edentes. Folia sessilia, lanceolata, versus basim vix angustata, in siccis speciminibus obsolete 5-nervia, glabra, marginibus denticulato-scabra. Umbella multifida, dichotoma: radiis glabris, laevibus, substriatis. Involucellum 6-phyllum: foliolis lanceolatis, mucronatis, margine denticulato-scabris. Involucella diphylla: foliolis elliptico-lanceolatis, mucronatis, denticulato-scabris. Flores pedunculati, erecti. Calyces obovato-turbinati, pubescentes. Petala subreniformia. Capsulae subglobosae, hirsutae. Semina fusca, laevia. Posset forte *E. pulverulenta* dici. Ad Báb in Cottu Nitriensi cum *E. nicacensi* eodem in loco lecta.

1106. *E. syrmensis* mihi.

Radix perennis. Caules ex eadem radice plures, erecti aut ascendentes, sesquipedales longioresve, glabri, laeves, teretes, substriati, simplices, nec nisi prope umbellam pedunculos aliquot axillares edentes. Folia numerosa, caulem dense obsidentia, sessilia, lineari-lanceolata, integerrima, mucronata, versus basim sensim angustata. Flores in umbella fastigiata, multifida, bifida: radiis plurimis, striatis, laevibus. Involucrum polyphyllum, radiis plus quam duplo brevius: foliolis lato-lanceolatis, versus basim paulo angustioribus, apice acuminatis, integerrimis. Involucella deltoideo-ovata, latiora quam longa, angulis baseos rotundatis, apice mucronata, integerrima. Calyces obovato-turbinati. Petala subreniformia obscure flava. Capsulae glabrae, angulis scabriusculae. Semina fusca, laevia. Tota planta pallida, glabra, laevis, umbella flavescens. Habitat in collibus Syrmii, unde a Wolny sub n. 8 et 38. Semina aut stirpes vivae petendae, aut specimina sicca. In montibus ad Csákvár calcareis legi huic

similem sed diversam, ramis etiam sterilibus, foliis imbricatis, inferioribus multo minoribus, superioribus ad ramos et pedunculos axillares multo latioribus, involucri foliolis ovatis, umbella radiis paucioribus.

1107. E. palustris.

Tota glabra. Folia integerrima. Capsulae verrucosae. In fossis, stagnis.

1108. E. lucida.

Tota glabra. Folia integerrima uti et involucella. Capsulae scabriusculae. Desunt specimina. In praedio Hatrongyos Cottus Hevesiensis legi specimina foliis involucellisque emarginatis cum mucrone, quae conferantur cum descriptione in Pl. rar. Hung. A Wolny sub n. 54 pro *E. salicifolia* missa.

1109. E. pubescens mihi.

Sub hoc nom. alia mihi missa est, ergo mutandum. Caulis erectus, glaber. Folia alterna, breviter petiolata, ovato-lanceolata, subtus pubescentia, apice subemarginata cum brevissimo mucrone. Umbella suboctofida, bifida, dichotoma. Involucra 7—8-phylla, foliolis oblongo-ovatis, acutis, integerrimis, glabris. Involucella reniformi-cordata, brevissime mucronata, integerrima, glabra. Petala videntur esse lanata. Capsulae scabriusculae. Rami sunt fertiles i. e. pedunculo axillares, bifidi, dichotomi, floriferi. Unde?

1110. E. pallida Willd. **E. amygdaloides** Lumnitzeri.

Quam Lumnitzer sub nomine *E. amygdaloides* miserat, Willdenow pro *E. pallida* declaraverat, a sequente vix differre videtur, ab hoc igitur specimina et semina petenda.

1111. E. salicifolia. Pl. rar. Hung. I. t. 55.

Radix repens. Caules striati, raris brevibus pilis adpersi. Rami nulli aut pauci steriles, angulati vel compressi. Folia sessilia, acuta, integerrima, margine revoluta, venosa, mollia, utrinque villosa. Rami compressi, angulati,

glabri, octoni, denive. Involucrum 8 — 10-phyllum foliis ovato-oblongis, integerrimis aut versus apicem subdenticulatis, acutis, glabris. Involucella acuminata, denticulata, glabra. Calyces angulati, in pedicellum brevem attenuati, glabri, laciniis inter petala eminentibus brevissime ciliatis. Petala bicornia. Capsulae tricoccae, angulis scabrae. Semina cinerascens. Caulis et folia canescunt. In fruticetis marginibus silvarum, silvis rarioribus Budae, in Cottu Albensi, Syrmieni. A Wolny sub num. 6 et 9, tum sub num. 5 et 10 minor missa, nec sub n. 7 missa videtur differre, uti et quam Rochel sub n. 354 ad Gohndorf lectam misit. Caules proprie pubescentes pilis raris brevibus, saepe superiora versus omnino glabri. Folia potius tomentosa, quam villosa dicenda, cum pili sint brevissimi vix lente discriminandi. Ad Kerepes quoque lecta est. Wolny misit varietates foliis angustioribus.

1112. *E. amygdaloides* Willd. *E. silvatica* Jacq.

Priore dicitur, illam ab hac differre, caule herbaceo: sed Smith ei suffruticosum tribuit, qualis apud nos plerumque est. Folia autem variant: jam obtusa jam acutiuscula, plus minus pilosa. Petala bicornia, corniculis elongatis setaceis. Rami laterales seu pedunculi axillares elongati. Umbella plerumque 5-fida. Hanc a me ad Pece St. Márton lectam Willdenow pro *E. amygdaloide* declaravit. Caulis nonnunquam usque ad umbellam pilosus, alias superiore parte glaber. Folia inferiora, dum caulis, qui priore anno sterilis erat, per hiemem perdurat, dense congesta, et tunc reliqua his, quae hiemem perseverant multo minora. Cornicula petalorum jam longiora, jam breviora, setula aristata, alias mutica, quin emarginata aut bifida, quale specimen Wolny sub nom. *E. silvaticae* et n. 53 miserat, et qualia etiam ipse legeram. Calyces nunc subpubescentes, nunc glabri, ore ciliati. Szontag sub n. 8 e Scepusio misit, ubi etiam Mauksch invenit. Wolny

sub n. 52 misit varietatem caule elongato, ultra medietatem aphylo sub nom. *E. Characias* β . involucellis discretis, nec ulla alia nota discernenda. In silva Bakony ad Úrkút-Bányam.

Anacardiaceae.

1113. *Rhus Cotinus*. *Coggyria* Clusii hist. var. I. p. 16.

In montibus apricis, sepibus vinearum, silvis, collibus arenosis e. c. Budae, ad Pamász, oppidum Sz. Andre, ad Csákvár, ad Iszka Sz. György, ad Vörös Berényium in Cottu Szaladiensis ultra Keszthely, in Banatus elivis arenosis versus Deliblat, in montibus calcareis Banatus usque limites Valachiae. In Carpatho.

Diosmeae.

1114. *Dictamnus albus*.

In silvis. Varietatem foliis simplicibus, in montibus infra Strigonium ad Maróth lectam accepi.

Rutaceae.

1115. *Ruta montana*.

In asperis litoralis hungarici.

Zygophylleae.

1116. *Tribulus terrestris*.

In arenosis frequens.

Geraniaceae.

1117. *Erodium moschatum*.

Hoc in Cottu Aradiensis occurrere intellexi, et ex itinere slavonico attuli.

1118. *Geranium sanguineum*.

In montanis calidioris Hungariae ubique, potissimum inter frutices, ad vinearum sepes et in silvis caeduis, nec planiorem Hungariam refugit, ad Debrecinum et in Nyir lectum.

1119. G. macrorrhizum.

In rupestribus calcareis montis Szimion pone Csiklovam Banatus, et in Merszin ad Korenicam Croatiae. D. Proto-medicus Pfisterer attulit ex itinere dalmatico, varietatem glabram, nervis calyce. foliolorum vix nobis pubescentibus.

1120. G. phacum.

In silvis et fruticetis Cottus Neogradensis, Szathmarensis, Scepusiensis, Croatiae, Syrmii et Banatus, ad P. Sz. Márton in silva, in silva Bakony supra Ugod, ad acidulas bartphen-ses, nec refugit alpes, in quibus legit Mauksch sub nom. *G. fusci*; idem tamen alias recte nominatum misit e pomariis et nemoribus Scepusii. In alpihus et frigidioribus silvis.

1121. G. silvaticum.

Habitat non tantum in silvis montanis et subalpinis Scepusii, Liptoviae, Arvae; sed et in ipsis alpihus Marmaros., Beregh., Liptoviae, Arvensibus. In alpihus Croatiae Plissivica, occurrit inter *Pinum Pumilionem*, caulibus sesquipedalibus, angulatis, inferne pubescentibus pilis reversis, superne pilosis pilis patulis, dichotomis, trifidisve: ramulis subaequalibus, dichotomis. Folia 7-lobo-palmata: lobis inciso-lobatis serratisque, venis hirsuta, pilis appressis. Superiora opposita Petioli hirsuti. Stipulae fuscae, glabriusculae, lanceolatae. Pedunculi biflori, breves, pilis brevissimis albis eglandulosis canescentes. Calyces pilosi, pilis eglandulosis: foliolis trinerviis, seta herbacea terminatis. Petala coerulea, subcrenata, subemarginata. An distincta species?

1122. G. duplicatum mihi, potius *furcatum*.

Radix perennis. Caules erecti 1 — 1½-pedales, infra suprave medium in duos ramos divisi, angulati, pubescentia brevissima rarissimaque vix per lentem observabili. Folia 5-loba, petiolata, summa triloba, sessilia, utrinque pilis

raris appressis adspersa, subtus venis pallidiora, venis hirtis: lobis ovatis, acuminatis, inciso-serratis, distantibus; dentibus inaequalibus, mucronatis. Petioli supra canaliculati, subpubescentes praesertim sub folio. Stipulae fuscae, lanceolato-subulatae, glabrae. Pedunculi elongati, biflori, e dichotomia bini ternive ex oppositione, supremi foliorum minorum 1 — 2-flori, breviores, scabriusculi; pedicelli breves, vix calyce longiores subtomentosi. Bractee lanceolatae, aristatae, fuscae, quaternae. Calyx glabriusculus, nervis vix notabiliter pubescens pilis brevissimis albis: phyllis ellipticis, obtusis aristatis, 3 — 5-nerviis. Corolla coerulea magnitudine *G. palustris*. Arilli glabri, basi pilis albis brevibus barbati, laeves. Semina ovalia, fusca, laevia. Habitat in silvis Croatiae. A *G. silvatico* diff. lobis foliorum ovatis, acuminatis inciso-serratis, minus profunde discretis (nec extrorsum dilatatis, inciso-lobulatis); petiolis, pedunculis calycibusque glabriusculis: capsulis seu arillis glabris. Ungues petalorum ciliati, filamenta inferiore parte plana ciliata: semina lente valde augente inspecta punctata apparent, quae omnia et in *G. silvatico* obtinent, a quo tamen primo intuitu diversum: pedunculis raris elongatis (nec panicula multiflora corymbosa) ad *G. palustre* potius accedens, quod vero diff.: 1) hirsutiae omnium partium, stipulis, bracteis, calycibus forte dentis, quae etiam glabriusculi; 2) lobis foliorum inciso-lobulatis; lobulis muticis, obtusis; 3) pedicellis elongatis, calyce triplo, 4-plove longioribus; 4) arillis pubescentibus. Petalorum ungues, filamenta et semina, ut in *G. duplicato* et *silvatico*.

1123. *G. palustre*.

Habitat in pratis humidis, ad rivulos, in fruticetis salignis Scepusii, Banatus (e. e. inter Corniam et Teregovam), ad Herlein in prato et silva.

1124. *G. pratense*.

In pratis Cottus Soproniensis (infra N. Márton), Pesthien-
sis (ad Acsa), Seepusii (ad Igló).

1125. *G. argenteum*.

In alpinis Styriae occurrit: an etiam in alpinis vicinae
Croatiae.

1126. *G. umbrosum*.

In umbrosis ad thermas Herculis.

1127. *G. punctatum* mihi.

Radix . . . Caules, ut videtur, decumbentes, more con-
generum dichotome ramosi, angulati. Folia petiolata, ad
divisiones caulis opposita, circumferentia subrotunda, 7 -- 5-
loba, lobis extrorsum paulo longioribus, subtrilobis, inciso-
lobulatis: lobulis mucronatis, utrinque nigro-punctata (an etiam
in recente), pilis e singulo puncto emergentibus appressis,
brevibus obsita. Petioli inferiores longissimi, superiores bre-
viores foliis suis. Stipulae lanceolato-subulatae. Pedunculi
e dichotomia 1½ -- 2-pollicares, erecti, demum declinati,
biflori. Pedicelli calyce duplo, quadruplove longiores, post
florescentiam reflexo-incurvi. Bractee quaternae subulatae.
Calycis foliola ovata, aristata, trinervia. Partes omnes hacte-
nus descriptae, dentis foliis, pilis longis, patentissimis obsi-
tae. Pili breviores pedunculorum glandulas minutissimas
gerunt. Accedit ad *G. molle*: sed huic folia reniformia, fo-
liorum lobuli phyllaque submutica. Habitat inter frutices Syr-
mii, unde a Wolny pro *G. umbroso* missum.

1128. *G. bohemicum*.

Semel, ni fallor, a me in Hungaria lectum; *G. divari-
cato* maxime affine, corollis tamen majoribus coeruleis eminus
dignoscenda.

1129. *G. divaricatum*.

Inter frutices Budae, ad Lovas Berény in silva minus,

ad vineas Keckskemétienses, in silva ad Heves; ad sepes vinearum prope Hosszú-Hetény in Cottu Bányensi. In monte Somlyo legi, simile aut idem sub nomine *G. hispidi* asservatum.

1130. *G. lucidum.*

In umbrosis versus Kovácsi, ultra schönen Schäferin Budae, in Viena draga valle Croatiae.

1131. *G. molle.*

In monte Nagy Szál ad Vácium.

1132. *G. columbinum.*

In pratis, arvis, fruticetis Croatiae (ad Varasdinum), Syrmii, Banatus (ad Jókut), Hungariae (in Muraköz, Cottu Sümeghiensi, Marmarosiensi, Sárosiensi, Scepusiensi).

1133. *G. dissectum.*

Ad P. Sz. Márton et ad Hollód in Cottu Bihariensi, Abaujváriensi et Sárosiensi, in Slavonia et Banatu. Ad Kobány in agris Cottus Zemplinensis Sadler.

1134. *G. rotundifolium.*

In aggeribus agrorum et vinearum, in pascuis aliisque graminosis minus fertilibus.

1135. *G. pusillum.*

In subgraminosis aridis, sterilibus, clivis et collibus apricis Budae, Pesthini, ad Érd, Báb in Cottu Nitriensi, ad Posonium unde a Lumnitzer pro *G. mollissimum*, in Cottu Sümeghiensi.

1136. *G. circinatum* mihi interea.

Radix annua fusca, ramoso-fibrosa. Caules solitarii, binive ex eadem radice, erectiusculi, aut declinati, simplicissimi aut bifidi, palmares aut spithamaei, hirsuti, pilis longis patentissimis. Folia rotundato-reniformia, utrinque pilis decumbentibus, inferiora petiolata inciso-novem-septemloba:

lobis antrorsum dilatatis hinc conniventibus, finibus hiantibus indivisis, bi — trilobisque, lobis obtusissimis brevissime mucronatis, superiora sessilia, 5-loba; lobis angustioribus, profundioribus; incisuris discretis et distantibus. Petioli pilosi: pilis longis patentissimis, radicales basi rubro-fusci. Stipulae lanceolatae, scariosae, pubescentes. Pedunculi oppositifolii folio longiores, biflori, pedicellique pilis brevioribus obsiti, hi post anthesin declinati, apice incurvo fructum erigentes. Bractae sublineares, obtusae, fuscae, pilosae, breves. Calyces hirsuti, pilis longiusculis, patulis, mucronatis. Petala rosea, biloba, calyce duplo longiora. Arilli glabri, laeves; rostrum fructus subtomentosum a pilis brevissimis, nonnisi per lentem videndis. *G. pusillo* simile, sed differt petalis bilobis calyce duplo longioribus, arillis glabris. A *G. rotundifolio* differt petalis bifidis, calyce duplo longioribus, calycibus submuticis, tantum mucronatis, nec aristatis; arillis glabris. Habitat ad Varasdinum et in valle Vilena draga monte Croatiae.

1137. *G. Robertianum*.

In silvis et rupibus fere ubique usque in alpes Scepusii, unde Mauksch misit. Variat: 1) floribus albidis pallideve rubellis, statura majore et 2) floribus purpureis. Posterius e Cottu Veszprimensi et Sümeghiensi allatum, et a Lumnitzer sub nomine *G. columbini* missum. An hoc est?

Lineae.

1138. *Linum usitatissimum*.

Inter segetes. Ad Korenicam Ránk Cottu Abaujvariensi inter segetes legi *Lino usitatissimo* accedens: caule erecto 2 — 2½-pedali, simplici, apice paniculato, tereti, glabro; foliis numerosis, erectis, linearibus, acutis, glabris, laevibus, trinerviis; nervis lateralibus ad marginem acceden-

tibus, calycum foliolis ovatis, mucronatis, margine membranaceis, non ciliatis, nitidis, petalis ut in *L. austriaco* saturate coeruleis.

1139. *L. perenne* Lumnitzeri a *L. perenni* L. et Smith diversum, ut hujus descriptio in fl. brit. docet.

Caulis teres, striatus, glaber, laevis, apice ramosus. Folia lanceolata, basi angustata, acuta, trinervia, integerrima, glabra, laevia. Calycis foliola ovata, acuminata, margine membranacea non ciliata, sub-5-nervia; nervis e lateralibus obsoletis.

1140. *L. viscosum*?

Nimis simile *L. hirsuto*, et a *viscoso*, quod C. Festetics miserat, diversum, adeoque vix aliud quam *L. hirsuti* varietas, licet folia superiora et phylla margine glandulis pedicellatis sint obsita; inferiora autem eglandulosa. In Muraköz lectum. Magis ad *L. viscosum* accedit in collibus Sirmii natum, caule vix spithama altiore, foliis tamen non minus hirsutis et eglandulosis diversum, utpote cujus etiam, tamen folia floralia glandulis margine obsita sunt. Reperi tamen etiam, cui folia superiora glandulis obsita erant ex itinere Baranyensi.

1141. *L. hirsutum*.

Caulis et calyces semper hirsuti; folia floralia et foliola calycina semper plus minus margine glandulis pedicellatis obsita. Habitat in graminosis siccis collinis et montanis; potissimum inter vineas Budae etc., in Cottu Baranyensi, Sirmiensi, Banatu, ad Keszthely, Sió Fok, in montibus Méne-siensibus. β . Foliis glabris, angustioribus, eglandulosis, floralibus tamen et phyllis glanduliferis. Caulis et calyces hirsuti. Folia floralia subpubescunt. Caulina in omnibus nervosa, sed minus manifeste quam in *viscoso*. Habitat in arenosis Pesthini, in praedio Jakab vel Jakab Szállás.

1142. *L. tenuifolium*.

In apricis siccis. Pro *L. austriaco* a Lumnitzer. A *L. tenuifolio* L. diversum esse nuntiat Smith.

1143. *L. aureum*. Pl. rar. Hung. II. t. 177.

In herbidis et agris ad Jannicam, in Croatia, ad Csernye in Slavonia, inque Cottu Sümeghiensi.

1144. *L. alpinum?*

Sub nomine *L. monadelphi* descriptum inter plantas Croatiae. Ex alpe Visse Vagana, ubi ad nives crescit. Ex alpibus Bereghiensibus Berzava.

1145. *L. extraaxillare* mihi.

Radix perennis. Caules plures ex eadem radice, erecti subdeclinatique, teretes, laeves, calvi, pedales altioresve, culmo tritici paulo tenuiores, inferne simplicissimi, superne ramosi; ramis aliis sterilibus axillaribus, aliis (paucis: 2—3) floriferis, extraaxillaribus. Folia numerosissima, sparsa, patentissima, integerrima, calva, laevia, subtus trinervia, inferiora, ut in plerisque, minora. Flores in ramis superioribus, ante florescentiam nutantibus, remoti, extraaxillares, secundi, in pedunculis unifloris, filiformibus, calyce triplo, quadruplo longioribus, interjectis inter insertionem eorum binis foliis: caulina aemulantibus, sed minoribus, successive versus apicem magis approximatis, ut tandem subopposita evadant. Calyces calvi, oblongi: foliolis ovato-lanceolatis, acuminatis, margine membranaceis, striis tribus diaphanis notatis. Corollae magnae, eas *L. perennis* aequantes aut superantes, extus albido-coeruleae, intus pallide violaceo-coeruleae; petalis obovatis, antice crenulato-serrulatis, striatis; unguibus flavis, intus pubescentibus, et linea eminente subcarinatis. Stamina stylis prope duplo longiora: filamentis pallide flavescens, superne setaceis, calvis, inferne basi latiore connatis, extus

ad juncturas pubescentibus, interjectis inter singula singulis denticulis, capillaribus, velut filamentorum rudimentis. Antheris oblongis, transversis, basi demum bifidis, ochroleucis. Germen ovatum pallide virens, laeve, calvum; styli capillares, albi, divaricati, basi in mucronem germinis connati. Stigmata ovali-capitata; viridi-flavescentia. Capsulae E Scep-sio semina sub nom. *L. alpini* missa sunt. — Huic simillimum est in alpe Pop Iván lectum, quod a *L. alpino* diversissimum esse enuntiavit Willdenow. Nec nisi angustioribus foliis abundant, quae pro *L. alpino* Mauksch et Genersich miserunt.

1146. *L. austriacum*.

Foliola calycis obtusa quidem, sed cum mucrone brevissimo, qui raro in uno alterove phyllo deficit. Foliola calycis margine membranacea, non ciliata. Caules non sunt diffusi, verum erecti, v. ascendentes. Habitat Pesthini, in praedio Reida, ad Keeskemét, ad Balaton; ad Nagy Bátor in Sirmio, in Cottu Poseniensi inde a Lumnitzer pro *L. tenuifolio* missum ad Káloz in pratis siccis, ad Sz. István in itinere Bereghiensis lectum. Solo arenoso potissimum frequens.

1147. *L. uniflorum* mihi.

Radix annua, vix pollicem longitudine aequans, simplex, paucas radículas fibrosas exserens, flexuosa, albida. Caulis solitarius, erectus spithama paulo longior, striatus, simplicissimus, teres, substriatus, glaber, laevis. Folia alterna, sessilia, linearia, acuminata, enervia, glabra, etiam marginibus laevia. Flos terminalis, solitarius, erectus. Calycis foliola ovata, acuminata; subquinenervia, margine membranacea ciliataque. Quandoque rudimentum ramuli in folio supremo haeret. Habitat ad rivum Blatnice in valle Blessovicensi C. Thurociensis. Willdenow putat alterius cujusdam varietatem esse.

1148. *L. flavum*.

In collibus et clivis Budae, ad Keszthely, in Syrmio, Scepusio, Banatu; ad arcem Hrádek (Wahlenberg).

1149. *L. capitatum* mihi.

Radix perennis, transverse repens. Caules adscendentes, simplicissimi, spithamaci aut paulo longiores, brevioresve, subangulati, glabri, laeves. Folia numerosa caulem tegentia, infima congesta, patentia, oblonga, subspathulata, haec et caulina inferiora obtusa at brevissimo obtusiusculo mucrone, margine diaphano laevia; caulina lanceolata, basi biglandulosa, sessilia, superiora acuta, margine diaphano-serrulato-scabra. Flores capitati. Calycis foliola acuminata, serrulata. Corollae flavae. Folia caeterum trinervia, glabra, laevia. Differt itaque potissimum radice repente: floribus capitatis. In alpe Plissivica Julio. Folia in propagine omnino spathulata, obtusa.

1150. *L. nervosum*. Pl. rar. Hung. II. t. 105.

Ad Pancsova et inter Orczydorf atque Aradinum in graminosis et aggeribus. In alpe Sz. Iván. *L. ciliatum*, *L. strictum*. —

1151. *L. catharticum*.

In turfosis Scepusii et Pesthini, in graminosis siccis et humidis Budae, in apricis et umbrosis et in ipsis Arvae alpibus.

Oxalideae.**1152. *Oxalis Acetosella*.**

Vidi varietatem floribus coeruleis. In nemoribus provinciarum montosarum Hungariae, Slavoniae et Croatiae.

Onagrariaceae.**1153. *Oenothera biennis*.**

In arvis, aggeribus.

1154. *Circaea lutetiana*.

In silvis Croatiae, Slavoniae, Banatus, Hungariae.

Datur varietas caulibus, petiolis, nervisque foliorum hirsutis, quam in muris arcis vetustae Schemnicini lectam pro distincta specie habet Wolny, a me magis hirsuta alibi lecta.

1155. *C. intermedia*.

Radix repens subnodosa. Caulis latera duo canaliculata, simplicissimus, pedunculo racemi, simplicis aut compositi, terminatur. Folia cordata, acuminata, acumine obtuso, denticulo minimo mucronato, subrepando - denticulata, nitida. Tota planta glabriuscula, brevissimis tenuissimisque pilis subpubescens, germen tamen lanatum pilis impletis albis apice crassiusculis.

Bei Hosszúvíz von Baron Splényi.

1156. *C. alpina*.

In Cottus Arvensis, Scepusiensis, Liptoviensis, Marmarosiensis alpinis et subalpinis; et in Guttin ad Kapnik.

Saepe caulis stoloniferus.

1157. *Epilobium angustifolium*.

In silvis caeduis frequens, Budae (ergo non tantum in Europa boreali), in Scepusii alpe Völkensi infra supraque catarractam in silva ad Nagy-Vásony, ubi initio Julii, in alpinis ante Aug., Septembri floret. Am weissen Wasser in alpe, ubi reipsa est angustifolium, quod alibi, e. c. in silvis apud nos natum, non meretur, cum folia saepe plus quam $\frac{1}{2}$ pollicem lata habeat. Ad Albulam Mauksch Julio legit, specimen ramosum folio latiore. In silvis caeduis Cottus Trencsinensis Rochel. Caules apud nos, non raro 5-pedales altioresve. Folia saepe lato-lanceolata, nec lineari-lanceolata (ut Smith in fl. brit.) atque ista non minus, quam angustiora remote denticulata, nec quantum ego observavi, unquam integerrima. Misit etiam Szontag sub n. 5. varietatem floribus

albis misit Mauksch cum quaestione nonne *E. latifolium?* quod esse nequit ob folia lanceolata, venosa, glabra.

1158. *E. angustissimum.*

Caules foliaque pubescentia, inferiora obsolete denticulata. In arenosis fluviorum et rivorum e. c. Vagum Com. Trenchinensis et Liptoviensis, in arenosis sub Babia Gora in Cottu Arvensi, ad rivos et fluvios Scepusii unde a Mauksch et Genersich. Etiam floribus albis occurrit. Floret Junio, Julio, Augusto.

1159. *E. hirsutum.*

In fossis aquosis, ad rivos limosos, in nemorum convalibus, silvis humidis et fruticetis Budae, Pesthini, in Scepusio, Cottu Trenchinensi sub nom. *E. hirsuti* et alia vice *villosi* missum a Mauksch, sub n. 1 et 4. a Szontag cum? Caules etiam 6-pedales, ramosissimum. Variat foliis magis et minus hirsutis.

1160. *E. pubescens.*

Ad thermas Herculis in humidis, Rochel ad Rownyc ad Vagum legit et sub n. 303. et nomine *E. villosi* misit. Etiam in humidis Pesthini Junio, et in Scepusio ad rivulos silvestres inter colles Julio. Quod Pesthini crescit caule simplicissimo, foliisque piloso-canis est. Etiam in Slavonia lectum, foliis omnibus alternis, tantum infimis 2 paribus oppositis. *β. ramosum* a Mauksch pro varietate *E. pubescentis*, a dom. Szontag sub n. 17. acceptum, foliis defluentibus petiolatis, omnibus quae in utroque specimine adsunt, alteruis; sed infima desunt. Idem hoc est *E. villosum* Florae Poson. ut e specimine per Lumnitzer communicato video. *E. molle* Flor. Tyrnaviensis.

1161. *E. montanum.*

Caule nunc est ramoso, nunc apice tantum aliquot ramos (1 — 2) edente, nunc simplicissimo, nunc vix spithama

altiore, alias sesquipedali, longioreve. Folia nunc glabra, venis tantum et marginibus pubescentia, alia utraque pagina plus minus pubescentia. A Szontag sub n. 2 et 3, a Rochel snb n. 302. et nomine *E. an pubescens?* a Mauksch rite definitum missum. A me lectum in silvis Budensibus, Poma-sziensibus, Herleinensibus, Sümeghiensibus (in praedio Káki Puszta), ad Szomolnokinum; etiam in alpibus Scepusii et Liptoviae occurrit. In Guttin Julio, in Syrmio Junio, in Rownye Augusto lectum. — *β. trifoliatum*. Fors distincta species. Caulis erectus, pedalis, sesquipedalis, simplicissimus, pubescens. Folia terna, brevissime petiolata, summa opposita, oblongo-ovata, acutiuscula, denticulata, nervis margine-que pubescentia, caeterum glabra. Germina calycesque pubescentia, foliolis lanceolatis, acutis. Corollae duplo majores quam in *montano* vulgari, violaceo-coeruleae. In subalpinis Cottus Arvensis et Liptoviensis, ad rivulos.

1162. *E. roseum*.

In alpibus Scepusii, Liptoviae, Zoliensibus, potissimum ad scaturigines et rivulos. Stigma indivisum. Folia opposita, superiora alterna, petiolata, glabra, denticulata (nec serrata). Caulis simplicissimus, teres cum angulis binis instar nervorum a foliis decurrentibus. Apex caulis et pedunculi ante florescentiam nutant. Caulis decumbens, radicans, inde ascendens. Folia breviter petiolata, ovata, obtusiuscula, glabra, denticulata, plerumque omnia opposita, alias summa alterna. Flores axillares, pedunculati, ante anthesin nutantes, demum, ut fructus, erecti. Caulis basi saepe stolones promit, nonnumquam apice ramum exserit. *β. minus*, saepe caulis brevior siliqua cum pedunculo, vix sesquipollicaris, pauciflorus, non raro unico flore terminatus. Folia elliptica, obtusa, basi angustata, subdenticulata, non raro integerrima (in minoribus speciminibus) plerumque omnia opposita. Flores

pedunculati. *E. alpinum* pro quo cum Mauksch habui, non potest esse, cum flores pedunculati sunt, et praecedens in hoc per gradus insensibiliter transeat in eodem loco e. c. in alpibus Zoliensibus. Folia saepe elliptico-lanceolata. In alpe Krivan, in Petrosa ad stagnum, in Pop Ivan ad rivulos, in Gyömber pro *alpino* habitum. Genersich misit specimen hujus foliis dentatis pro *alpino* sub dubio. Smith in fl. brit. ad *E. alpinum* non facit mentionem, flores sessiles esse et reliquae notae quas suo tribuit conveniunt.

1163. *E. tetragonum*.

In silvis caeduis Budae. Caulis erectus, 2 — 2 $\frac{1}{2}$ -pedalis, strictus, tetragonus, apice tantum ramosus, inferne glaber, superne et ramis, pedunculis, germinibusque magis magisque canescentibus ab atomis albidis. Folia lanceolata, dentata: dentibus subincurvis, obtusiusculis, quibusdam duplicatis, glabra, laevia, mucronata, omnino sessilia (nec ut Smith dicit subsessilia), opposita, tantum summa et ramea alterna. Siliquae axillares, pedunculatae, tripollicares. β . *subpubescens*. Caulis fere a basi ramosus, ramique stricti, ad angulum acutum erecti, subpubescentes, folia marginibus nervoque subpubescentia, denticulata: denticulis, quam in praecedente, brevioribus, remotioribus. Ad Veröce in arvis inter vineas et silvas copiosissimum. A Mauksch missum folia paulo majora habet.

1164. *E. silvestre* mihi.

Caulis erectus, 2 — 3-pedalis, inde a media vel inferiore parte ramosus, teres, obscure rubens, pubescens pilis brevibus, patulis, superiore parte successive densioribus. Folia inferiora opposita, superiora alterna, breviter petiolata, dentato-serrata: dentibus antrorsum versis, obtusiusculis, nigricantibus, lanceolata, acuta, utrinque praesertim nervis et

marginē pubescentia, pilis brevissimis appressis. Flores ut in reliquis speciebus ex axillis foliorum superiorum minorum pedunculati. Pedunculi calyces germinaque sen calycis tubi pubescentia, pilis patulis, brevibus, densis, indeque canescentia. Calycis lacinae lanceolatae, acutae subpubescentes. Petala laciniis calycis duplo fere longiora, biloba, violaceo-rubra. In silvis caeduis ad officinam vitrariam Jankovác dictam, ad Drenovác in Slavonia.

1165. *E. palustre*.

E palude Ecsediensi (Ecsedi Láp) caulibus erat simplicissimis, pede brevioribus; Mauksch misit spithamaea et subpedalia specimina, et unum sesquipedale (ad fossas et rivulos). Caulis et folia in his levissime pubescunt ut in specimine a Willdenow misso, folia subsessilia, alterna, suprema opposita, lanceolata, lineari-lanceolata, in minoribus linearia, obtusa, integerrima. Pedunculi calycesque incani. Mauksch de majore specimine quaerit: an novum? an *palustris* var.? Idem etiam misit specimina ramosa, pro *tetragono*, et Genersich glabrinusculum pro *rosc*o.

In Fekete Tó, uliginoso loco Matrae legi specimina foliis laete viridibus integerrimis et obsolete remotissimeque denticulatis, brevissime et vix, nisi per lentem observavi, pubescentibus.

Halorageae.

1166. *Hippuris vulgaris*.

In aquis lente fluentibus e. c. Pesthini in rivo Rákos, in Comitatu Veszprimensi in amne Sio.

Lythrarieae.

1167. *Peplis Portula*.

In aquosis et inundatis e. c. Tibisci, Chrysii ad Boros Jenő, in silva ad Borbolam C. Soproniensis, in Banatu ver-

sus Marusium, in monte Nagyszál ad Vacium, in via, quae ex officina vitraria Com. Károlyi pone Nagy Bányam ducit.

• 1168. **Lythrum Salicaria.**

In fossis, ad rivos, in salicetis et arundinetis. γ . Foliis ternis, ad Nagy Bányam in montosis. *E. alternifolium* etiam vidi, et Mygind in herbario habet.

1169. **L. virgatum.**

In pratis et fruticetis non infrequens. Variat foliis floralibus floribusque oppositis, inferioribus seu caulinis quandoque alternis, floribus solitariis, binis ternisque, ergo nota: floribus ternis e definitione expungenda. Folia margine scabriuscula. β . Legi etiam specimina (si recte memini, in Cottus Hevesiensis pratis siccis) foliis lineari-lanceolatis, nervis a rachi media per totam longitudinem excurrentibus, qui in *virgato* alias obsoleti sunt, et versus marginem excurrunt.

1170. **L. Hyssopifolia. L. hyssopifolium** Smith.

In fossis aliisque locis, quibus aquae per hyemem restagnerant: ad Jaurinum et Tatam, ad Szénfalú in Cottu Szatmáriensi et ad Nagy Bányám, ad Jókut aliisque in locis Cottus Temesiensis. Ad Arács, Füred, in salsis humidis.

Pomaceae.

1171. **Pyrus Amelanchier.**

In rupibus calcareis ad Inotam et Palotam Cottus Veszprimiensis et ad Korenicam in valle Vilena draga. Cottus Trencsinensis monte Malenica Rochel.

1172. **P. syrmienensis** mihi.

Rami tenues, nigro-fusci, glabri, nitidi, horvi subpubescentes. Folia ovata, acuminata, serrata, dentibus mucronatis, juniora utrinque pubescentia, per aetatem calvescentia, petiolis tamen pilosis persistentibus, pilis patulis. Ad Velika

Remete in Syrmio. Margo foliorum in sicco subrevolutus. Stipulae angustissimae, subsetaceae.

1173. P. Baranyensis mihi.

Rami juniores cortice obscure fusco, maculis seu punctis albidis eminentibus seu verrucosis depressis adperso, glabro, horni pubescente et canescente. Folia ovata, acuminata, serrata, dentibus obtusis, subincurvis, brevissimo mucronulo auctis, supra glabra, subtus sublanata. Stipulae lineari-spathulatae, integerrimae. Serraturae quaequam duplicatae. *P. populi-folia* dici potest.

1174. P. matrensis mihi.

Folia ovata, obtuse acuminata, obtuse serrata aut crenato-serrata, juniora supra pubescentia, subtus sublanata, versus apicem tamen glabriuscula, seniora tantum costa media, venisque pubescentia. Petioli sublanati. Stipulae lineares, glabriusculae. Flores in umbella sessili, laterali. Pedunculi calycesque lanati: laciniis obtusis, utrinque lanatis. Stamina glabra uti et styli. Petala obovata ungue cuneiformi. An *P. Malus*? In Matrae silvis. Pedunculi fere pollicares.

1175. P. ciliata vel **marginata** mihi.

Rami glabri. Folia subrotunda aut subrotundo-ovata, crenata aut subserrato-crenata, mucronata, subtus verticillato-venosa, glabra, aut costa media tantum subpubescentia, supra glabra, laevia, costae mediae parte inferiore pubescentia, margine ciliata, ac plerumque pilis albis densis velat marginata. Stipulae lineares, longae, ciliatae. Flores corymbosi; pedunculis longis, glabris. Calyces glabri; segmentis obtusis, lanatis. Petala obovata, unguiculata. Petioli communiter foliis longiores, pubescentes. Pro *P. nivali* Jacq. e Scepusio missa per Mauksch, qui notat, eam in hortis ruricularum sponte nasci. A *P. nivali* utique differt foliis crenatis, petalis longius unguiculatis.

1176. P. slavonica vel **albicans** mihi.

(Haec et praecedens ad Pyra proprie dicta pertinent, *P. matrensis* et *syrmiensis* videntur ad poma referendae esse.) Cortex nigro-fuscus, glaber. Folia elliptica, apice basique acuta, integerrima, utrinque, praesertim subtus, dense-tomentosa, albicantia. Petioli folia aequantes. Stipulae lineari-subulatae, tomentosae. Fructus longe pedunculati, obovati, basi producti, basi apiceque (saltem ante maturitatem) pubescentes. Calycis segmenta acuta, utrinque sublanato-tomentosa. Styli 5. Arbor mediocris. Ad arcem vetustam quam e Nassice ascendimus.

1177. P. angulata mihi.

(Ad Malos pertinens.) Folia ovata, acuminata, crenata, crenis denticulo connivente mucronatis, subtus pubescentia, supra glabra, nitida. Petioli pedunculique villosi. Fructus immaturi obtuse 10-angulati, pubescentes, calycis segmenta obtusiuscula, villosa. Ad viam in silva inter Oravicam et Dognacska in Banatu sub finem Maji aut initio Junii, quo tempore adhuc petala quaequam supererant.

1178. P. csiklovensis.

(Ad Malos pertinens.) Arbor magna: ramis patulis, cortice obscure-fusco, juniore (i. e. harno), albo-tomentoso, demum calvescente. Folia petiolis longiora, oblongo-ovata, acuminata, basi angustata, plerumque cuneiformia, crenata aut subserrata, dentibus obtusis mucronulo velut glandula minuta auctis, supra pubescentia, subtus albo-tomentosa: petioli stipulaeque tomentosae, lineares. Ad Csiklovam; saltem inter plantas ad Csiklovam lectas jacuerunt specimina.

1179. P. Cydonia.

In sepibus vinearum Cottus Soproniensis ad Márc, ad Cinkota, in fruticetis Banatus et Syrmii e. c. ad Illok. Folia

in Banatu subrotundo-ovata, subcordata, mucronata, parvula. In Banatu, ni fallor superiora folia legi. Nunc in En. pl. hort. ber. separata ut distinctum genus sub nomine *Cydonia vulgaris*.

1180. P. Aria.

In umbrosis calcareis Budae, in Cottu Scepusiensi, in Banatu, ad Korenicam arbores sat magnas vidimus.

1181. P. intermedia?

A Szücs communicata, illi certe, quae in hortis colitur similis, sed non, ut in definitione dicitur, foliis ovato-lanceolatis, verum oblongo-ovatis.

1182. Sorbus aucuparia.

Sed folia aequaliter (nec duplicato-) serrata, subtus rachi pubescentia, petioli communes pilis adpersi, uti et pedunculi. Axillae foliorum et foliolorum barbatae, pilis albis confertis, praeterea dentes exhibent aliquot setaceos. Habitat in saxosis alpestribus Scepusii. Quam ad Bartfam observavi, fuit foliolis duplicato-serratis, glabris. Fructus subrotundi, apice impressionibus quinque stellatis, fere duplo majores quam in *S. lanuginosa*: carne aurantia, succulenta, acido-amari-cante; seminibus compressis, dorso crassiore convexis, fuscis.

1183. S. lanuginosa mihi.

Arbor mediocris. Cortex ramorum juniorum floriferorum transverse, sulcato-rugosus, obscure fuscus, albido-punctatus. Folia 5—6-juga cum impari: foliolis elliptico-lanceolatis, vel lanceolatis, subsessilibus, basi ovata inaequalibus: superiore latere supra insertionem deficiente, brevior, inferiore parte ad $\frac{1}{3}$ et ultra integerrimis, superiore parte simpliciter argute remotiuscule serratis, supra pubescentibus, subtus lanato-tomentosis. Petiolus communis teres, lanato-tomentosus. Flores in corymbum densissimum conferti: pe-

dunculo communi partialibusque lanato-tomentosis. Calyces obovato-turbinati, lanato-tomentosi, segmentis, albidis, obtusis. Poma pisi medioeris magnitudine, coccinea, basi non-nihil impressa. In Auwinkel Budae. Caro fructus aurantio-flava, succulenta, acido-amara, acerba. Semina oblonga, hinc plana, inde convexiuscula, obtusa, fusca.

1184. S. domestica.

In silvis Budae etc.

1185. S. syrmiensis mihi.

Fors distincta species: foliis sub-5-jugis: foliolis ovatis, simpliciter grossiuscule acuminato-serratis, supra pilosis, subtus petiolisque ramulisque albo-lanatis. Majo mense ad Illok sine floribus legi. Folia tantum 5-juga (nec 6 — 9-juga).

1186. Mespilus Chamae-Mespilus.

In alpe Plissivica. Folia juniora interiore parte subtus petiolique subpubescentes.

1187. M. Cotoneaster.

Ad Hansabég in fruticetis prope vineas, in Világos monte Matrae, in Scepusio, unde a Mauksch missa indeterminatam, itaD. Szontag sub n. 17. accepi.

1188. M. coccinea. Pl. rar. Hung. II. t. 256. *M. tomentosa* Willd. En. pl. h. ber.

Desunt specimina meliora. Ad Csákvár et Palota in Cottu Veszprimensi, ad thermas Herculis et Toplec in Banatu, in valle Zsilavna Cottus Thurociensis, ubique in rupibus calcareis, in Cottu Liptoviensi et Fatra legit Rochel.

1189. Crataegus monogyna.

Notae, quas Willdenow in En. h. ber. pro hac distinguenda offert, sunt fere omnes inconstantes: raro enim folia apud nos glabra, nec nempe subtrifida, verum saepius utrin-

que pilis adpersa, et in ramis vegetioribus pinnatifida, quin quandoque subpinnata: lobis nimirum inferioribus usque ad basin discretis; nec pedunculi calycesque semper subpubescentes, verum non raro utrinque glabri, vel pedunculi glabri, calyces autem pubescentes, quandoque pilis argenteo-nitentibus hirsuti, porro segmenta calycis etiam variant: non enim semper acuminata, verum saepe acuta, quin etiam obtusa occurrunt: idque in eodem individuo. Lacinae calycis intus glabrae. Receptaculo impresso circum stylum sublanatum. Foliis pinnatifidis donata specimina misit Mauksch pro *C. terminali* cum?

1190. *C. ovalis* mihi.

C. monogynae similis sed, ut videtur diversa. Frutex orgyalis, sesquiorgyalis vel et altior, ramosissimus. Folia obovata, aut obovato-cuneiformia, apice triloba, lobis serratis, dentibus incurvis, medio saepe trifido, utrinque pilis raris, praesertim costa, adpersa, et longioribus rare subciliata. Flores corymbosi, (ut e specimine Genersichiano, quod huc referendum puto, apparet) majores, quam in *C. Oxyacantha* et *monogyna*: pedunculis calycibusque glabris, horum segmentis acutis obtusisve, etiam intus glabris. Petala subrotunda, breviter unguiculata. Stamina ut in reliquis similibus. Stylus unicus, obtusus. Receptaculum circum stylum sublanatum. Bacca oblonga, elliptica, basi plerumque tuberculata, 1-sperma. Legi ad acidulas Bartfae atque in monte Szmerkovica inter Hradek et Sz. Iván in Cottu Liptoviensi. Baccae majores quam in *C. monogyna* et *oxyacantha*.

Rosaceae.

1191. *Rosa altaica*.

Petoli certe aculeati, petala alba, quibus notis hanc a sequente distinguit Willdenow in En. pl. h. ber. Legi in

Vilena draga, in montibus ad thermas *Herculis*, Matra alibi-
que et pro *R. pimpinellifolia* habui. Mauksch in Scepusii
agris et subalpibus legit inde notis donatum, sed floribus fo-
liolisque majoribus interrogandus an petala alba an rubra
sint. E Scepusio Mauksch pro *spinosissima* misit, a qua
pedunculis glabris differt. Pro *R. spinosissima* etiam Ge-
nersich habet, et fatendum est inter hanc atque *altaicam* no-
stram parum discriminis esse. Mauksch eam serius pro *R. pim-
pinellifolia* declarat.

1192. *R. pimpinellifolia*.

E Scepusio misit Mauksch, supra acidulas Szalokienses
in dumetis lectas. Haec unica petiolis est inermibus, caete-
rum simillima *altaicae*, minus tamen aculeata. Mauksch in-
terrogandus, an petala alba, an rubra.

1193. *R. spinosissima*.

Budae in montibus et collibus vitiferis; in Szitnya valde
pumila (pro *R. pimpinellifolia?* habita), ad Rendek, Gyön-
gyösini in Sárhegy. Pedunculi plerumque tantum setis ad-
persi, quandoque glabriusculi, paucissimis setarum vestigiis
adpersi, qualem in subumbrosis montis tiliarum Budae legi.

1194. *R. adenophora* mihi.

Rami inermes, laeves, glabri. Folia bi — trijuga cum
impari: foliolis oblongo-ovatis seu subellipticis, obtusis, du-
plicato-serratis, brevissime petiolatis, impari longe petiolato,
supra pilis adpersis, subtus praesertim costa et venis villosis.
Petioli setis glanduliferis brevibus, parcissimisque aculeis
rectis adpersi. Stipulae cum petiolo semiamplexicaules, gla-
brae, glanduloso-ciliatae. Pedunculi ramulorum terminales
solitarii, uniflori, hispidi, setis glanduliferis brevibus longis-
que patentissimis densis. Germina subrotunda, hispidissima
setis longis, patentibus, glanduliferis. Calycis lacinae inte-

gerrimae, lanceolatae, in cuspidem longum apice latiore productae, subtus inferiore parte subhispidae, margine ciliatae, setis glanduliferis, intus dense villosae. Petala subrotunda, parum emarginata. Caulis, ut notat Mauksch, inferne rarius aculeatus, aculeis horizontaliter patentibus. Habitat in silvis Leibnitzensibus. Pro nova misit Mauksch, qui interrogandus, cujus coloris flores sint. *R. glandulosa* Bellardii differt germine ovato, folioli. subrotundo-ovatis, glabris, ramis aculeatis; aculeis subrecurvis.

1195. *S. scepusiensis* vel *R. Maukschii* mihi.

Caules ramosi, ramique aculeati, aculeis sparsis inaequalis subrecurvis, glabri, laeves. Folia trijuga cum impari: foliolis ovatis, acutis, inciso-serratis, dentibus simplicibus duplicatisque, utrinque glabriusculis, pilis paucissimis adspersis. Petioli pubescentes, setis glanduliferis hispidi, paucis aculeis armati. Stipulae acutae, glabrae, glanduloso-ciliatae. Pedunculi ramorum terminales, solitarii, rarissime bini, uniflori, glabri, laeves, inermes. Germen subrotundum, glabrum, laeve. Lacinae calycis lanceolatae, acuminatae, integerrimae, margine et intus villosae, caeterum glabrae. Petala obcordata. Habitat in Scepusio, unde pro nova missa a Mauksch, qui interrogandus, an petala rubra sint, uti et qualis sit fructus, et quo tempore floreat, quoque loco crescat.

1196. *R. villosa*.

Inter Lubloviam et Gnesdum in Scepusio, in rupibus infra Chocs versus Lestin ad limites Cottus Arvensis, in Croatia.

1197. *R. glabrata* mihi.

Omnibus partibus glabris, demtis nonnullis pedunculis aliquot setis adspersis. Rami subinermes, paucissimis aculeis recurvis instructi, aut omnino inermes. Folia 2 — 3-juga

cum impari; foliolis ovatis, acutis simpliciter serratis, serraturis acuminatis. Stipulae dentatae, mucronatae. Petioli communes paucissimis nullisve aculeis. Flores corymbosi, conferti, breviter pedunculati. Germina globosa, glabra. Flores non vidi. Nescio ubi in Hungaria lecta. An *R. arvensis*? sed pedunculi breves, glabri, nec nisi raro aliqui setis paucissimis adpersi; petioli subinermes: flores corymbosi conferti, nec subsolitarii etc. Forsitan *R. rubrifolia*; quae, qualis ad Gospich lecta est, etiam germina globosa exhibuit, quae subrotunda dicit Persoon in nota, licet definitione ovata ponat. Eadem a Wolny ad Sisatováč lecta sub nomine *R. polyanthae* s. *macrae* s. *exsuccae* descripta est.

1198. *R. rubrifolia.*

Ad Gospich in Croatia inventa.

1199. *R. pumila.*

In collibus et montibus aridis, atque in subumbrosis Budae, ad Pomáz in Cottu Neograd., Heves., Albens., Tolnensi ad vias in Banatu, Syrmio alibique per planam Hungariam. Mauksch ad Leucoviam in monte Rehberg legit et pro *R. rubiginosa* misit, pro qua etiam habuit Lumnitzer. Genersich sub nom. *R. pumilae* misit. Alia specimina misit sub nomine *R. rubiginosae*? Mauksch.

1200. *R. croatica* mihi.

Caules subinermes, rami inermes, aut paucissimis aculeis rectis, patentissimis, subinermibus adpersi, glabri, laeves. Folia 3—4-juga cum foliolis petiolatis, subellipticis, utrinque acutiuseulis, duplicato-serratis, serraturis mucronatis, inferioribus glanduliferis, supra glabris, subtus costa pubescentibus, pilis longiusculis decumbentibus: saepe sine, nonnumquam cum intermixtis setis rarissimis. Petioli subhispidi, praesertim parte inferiore quandoque spinulis aliquot inermibus

simul inspersi. Stipulae acutae, glanduloso-ciliatae. Flores ramorum terminales solitarii. Pedunculi sesquipollicares, hispidi, setis glanduliferis, longiusculis, patentissimis. Germina subrotunda, setis longis rarioribus adpersa. Calycis lacinae lanceolatae, acuminatae, indivisae, extus pubescentes, setisque glanduliferis brevibus adpersae, intus margine albo-lanatae. Ad viam Carolinam in Croatia versus Flumen.

1201. *R. rubiginosa.*

Ad Bab, in itinere slavonico (ni fallor in transitu et Tolnensi in Baranyensem Comitatum).

1202. *R. reversa.*

Habitat in Matra. Desunt specimina.

1203. *R. pyrenaica.*

In Matra; Willdenow missa.

1204. *R. balsamea* mihi.

Differt a priori germinibus hispidis setis glanduliferis, calycum laciniis glandulis adpersis, foliolis supra subpubescentibus, subtus villosis, glandulis fructus balsamico-viscidis. Habitat ad Hradek. Nec diversa videtur, quam ad Diósgyőr et in Matra legeram, olim *R. recurva* dicta, ob fructus recurvos, oblongos. A *R. pendulina* insuper differt, quod nostrae germina sint hispida; illi saltem secundum Syn. glabra, et *R. pendulina* in America habitat, Persoon tamen in Europa habitare dicit. β . Foliolis ovato-lanceolatis, basi angustatis, supra catarractam Motieskensem in rupibus occurrit. Fructus huic uti prioribus varietatibus plus minus oblongi, non raro curvi.

1205. *R. humilis* mihi.

An a *R. alpina* diversa sit, adhuc dubito. In monte Merszin ad Korenicam.

1206. *R. villosa.*

β . Germinibus ovatis, glabris, basi tantum setis glanduli-

feris adpersis; foliolis minoribus, magis acutis diversa a *R. vulgari*, caeterum omnibus notis, quae in Fl. brit. afferuntur conveniens. Ad Korenicam.

1207. *R. incana* mihi.

Caules 4—5-pedales, ramosissimi, cortice glabro laevi, aculeis sparsis, recurvis, demum albidis armato. Folia bijuga cum impari: foliolis ovatis acutiusculis, aut obovatis obtusissimis, simpliciter serratis, aut serraturis aliquot duplicatis, an glandulosis? basi ad $\frac{1}{4}$ — $\frac{1}{3}$ integerrimis, supra canescentibus, pubescentibus, subtus incanis, villosa-tomentosis. Petiolis incanis, villosa-tomentosis, plerisque inermibus, quibusdam uno alterove aculeo recurvo armatis. Stipulae lanceolatae, acutae aut et acuminatae, supra glabriusculae, subtus villosa-tomentosae, versus apicem glandulis aliquot subdentatae. Flores ramulorum terminales, solitarii, breviter pedunculati. Pedunculi glabri, laeves. Germina ovata, glabra, laevia. Calycis lacinae petala aequantes et exsuperantes, lanceolatae, cum acumine producto apice dilatato, subintegerrimae, intus margineque villosae, extus glabriusculae, laeves, nondum raro tamen unam alteramve laciniam hinc aut utrinque gerentes. Petala rubra, emarginata. Inter Schemnicium et Teplicske, ad Hradek, ad viam inter Cassoviam et Ránk.

1208. *R. canina*.

Occurrit fere utrinque: velut in Croatia ad Varasdinum, in Slavonia ad Essekinum, monasterium Rákovac, in Banatu ad Oravicam, in Hegyallja ad Mád.

1209. *R. intermedia* mihi.

Frutex staturae *R. caninae*, cortice glabro, laevi, aculeis aduncis sparsis geminisque armato. Folia trijuga cum impari: foliolis ovatis, subacuminatis, simpliciter serratis, eglandulosis, supra pubescentibus, subtus villosis incanis,

petiolis villosis, aculeatis, aculeis recurvis. Stipulae acuminatae, glanduloso-serratae, subtus villosae, supra glabriusculae. Flores terni, quaterni, pedunculis germinibusque glabris, laevibus, ovatis. Calycis segmenta lanceolata, bina eorum hinc aut utrinque foliolis aliquot aucta, extus glabra, intus laevia. Petala obcordata, rubra. Habitat ad Korenicam. Diversa igitur a *R. canina* foliis villosis, a *R. collina* pedunculis glabris, petiolisque eglandulosis. Pone Antal in monte eandem reperi petiolis plerisque inermibus.

1210. *R. collina*.

Versus Kovácsi. β . germina omnia hispida; ibidem.

1211. *R. repens*.

In silvis et fruticetis Cottus Tolnensis, Baranyensis, Banatus, Slavoniae et Croatiae e. c. ad Korenicam; in Matra prope parietem basaltic.

1212. *R. carpatica* vel *petiolaris* mihi.

A Mauksch sine floribus missa, ab omnibus mihi notis diversa videtur. Ramulus, quem possideo exhibet corticem obscure rubentem, glabrum, laevem, subinermem, tantum superne inter folia, aculeos aliquot rectos patentissimos, subulatos exhibentem. Folia quadrijuga cum impari: foliolis distinctius quam in omnibus cognitis petiolatis, oblongo-ovatis, acutis, duplicato-serratis, margine glandulosis, supra glabris, subtus pubescentibus, nervo medio hispidis subaculeatisque, setis glanduliferis, aculeisque parvis seu brevibus. Petioli itidem hispidi setis glanduliferis, et subaculeatis. Petioluli pariter undique et stipulae margine setis brevibus glanduliferis obsitae. Habitat in colle subalpino Scepusii.

1213. *Rubus Idaeus*.

In silvis montanis usque in alpes.

1214. *R. tomentosus*.

Sed rami pubescunt et versus superiora successive villosi,

fine licet inferne calvescunt; pedunculi autem et bractee villosissimae. Reliquae conveniunt. Ad Gospich et Plocha in Croatia. Sub nomine *R. cani* descriptus ad Paráđ, ubi in montibus occurrit, nisi foliolis lateralibus obtusis indivisis, quae vero nota variat; aculei rectiusculi. Vix etiam differt ad Szalatnyám et Palásd in Hontensi Cottu lectus et sub nomine *R. cani* ibidem descriptus. Folia inferiora huic quandoque quinata, superiora ternata, lateralibus non raro bilobis, plerumque acutis. Etiam in Banatu occurrit. Willdenow missum est specimen sub F. 20. Etiam in Com. Zoliensi.

1215. *R. caesius*.

Nimia copia in agris planioris Hungariae. In insulis danubialibus fruticeta impervia reddit flagellis longissimis. A Mauksch sub nom. *R. fruticosi* missus. Genersich misit specimen duo sub nomine, quaerens, an utrumque sit *R. caesius?* ad quod respondendum, alterum caule angulato, petiolisque pedunculisque aculeatis, et glanduloso-hispidis, canoque villosis esse alterius speciei.

1216. *R. hirtus*.

In silvis Matrae, Croatiae (inque in subalp. regionem), Slavoniae, Banatus, Scepusii, vallis dominorum etc., a Wolny sub n. 60. Solo pingui natus, a Mauksch sub nom. *R. caesii*, in silva alpestri inventus; calycibus pedunculisque dense aculeatis a Genersich pro *R. fruticoso* missus. Nec pedunculi nec petioli sunt inermes.

1217. *R. corylifolius*.

Descriptus in diario itineris Ránkensis. Hic solus in Suecia crescit, asserente Wahlenberg; est ergo verus *R. fruticosus* L.

1218. *R. fruticosus*.

Foliis subtus tomentosis, aculeis aduncis et aliis notis instructus a Wolny sub n. 59 missus. Linnaeus (in it. Westrog.

vers. Germ. 157) de hac notat sequentia: Flores corymbosi. Petala stamina et pistilla alba. Calyces 5-partiti: foliolis ovatis, concavis, acuminatis.

1219. R. albicans mihi.

Caules angulati, aculeati, aculeis majoribus recurvis, minoribus rectis, setaceis, setisque glanduliferis hispidi, nec non pilis albis villosi, inferiore parte tamen calvescentes. Folia ternata, pauca quinata: foliolis cordato-ovatis, acutis, inaequaliter duplicato-serratis, dentibus obtusis brevissimo calloso glabro mucronulo terminatis, utrinque mollissime tomentosis, subtus praesertim candicantibus, lateralibus subsessilibus, ternato-bilobis. Petioli villosi, setis glanduliferis hispidi, aculeatique: aculeis in rachi foliolorum sparsis. Stipulae lineari-lanceolatae, indivisae, quandoque bifidae, integerrimae, villosae, setis aliquot glanduliferis subciliatae atque adspersae. Flores in panicula terminali numerosissimi, pedunculis ramisque paniculae glanduloso-hispidis aculeatisque; bracteis trifidis, acuminatis, albo-tomentosis. Calycis foliola ovata, concava, breviter obtuseque mucronata, albo-tomentosa. Petala calyce longiora obovata. In foliis, bracteis et calycibus tomento intermixti sunt pili longiores, splendentes. Habitat in fruticetis Cottus Baranyensis versus Neoplantam alibique. Huic quoad adductas notas fere per omnia similis, foliis tamen pluribus quinatis, foliolis basi magis ovatis ad *R. fruticosum* accedens lectus est in Sárhegy ad Gyöngyösimum. In silvaticis ad Herlein lectus foliolis obtusis tantum differre videtur. Vix etiam differt, quem Wolny sub nom. *R. tomentosi* novi et n. 58 miserat, licet, nam caulis seu ramus florifer omnes notas nunc descriptas exhibet.

1220. R. saxatilis.

In subalpinis Scepusii (a Manksch), Liptoviae, Croatiae (in Plissivica et Velebich). In Carpato quoque ipsi legimus.

Nonnumquam aculeus unus alterve adest. — β . Caule petiolisque aculeatis, aculeis rectis. Ad thermas Herculis in umbrosis. Willdenow pro novo habuit et *R. repentem* dici suasit.

1221. *Fragaria collina*.

In clivis, in collibus apricis siccis. In Scepusio legit Mauksch in collibus ad molam N. Lubloviensem fructibus non comestibilibus. Caulis seu scapi pilis etiam patentissimis.

1222. *F. praecox* mihi.

Radix perennis, lignosa, crassa (primaria nempe calammum crassitie saepe excedens, quandoque digitum auricularum subaequans, obscure fusca, radices latere edens: saepe spithamaeas, flexuosas. Stolones nulli. Scapi seu caules pauciflori pedunculique uniflori plures, foliis multo breviores, pilis longis patentissimis usque ad calycem hirsutissimi, ad divisionem in pedunculos et basi stipati stipulis ovatis acutis, aut acuminatis, pilosis, binis, interjecto rudimento folii simplicis ovato. Folia ut in reliquis (unica demta), ternata; foliolis obovatis, basi integerrimis, caeterum inciso-serratis, utrinque pilosis, subtus sericeo-hirsutissimis: dentibus acuminatis. Petioli pilis patentissimis hirsutissimi incurvis. Calycis lacinae lanceolatae, extus, ut folia subtus, dense sericeo-hirsutae, pilis pariter patulis. Petala calyce paulo majora, aut aequaliter obcordata, alba. Wolny misit sub nomine *F. sterilis* e Sirmio, et notat eam nivibus vix solutis florere. *F. vesca* notante M. a B. in Flor. taur.-cauc., ante *F. collinam* floret, ergo a posteriore etiam tempore florendi discrepat*).

1223. *F. reversa* mihi interea.

A *F. praecoce* diversa, caulibus altioribus, foliis supra

*) Est secundum Sadler (in Grész Diss. de Potentillis Hungariae etc. Pesth. 1837. p. 17) *Potentilla micrantha* Ram.

pilis raris adpersis; serraturis non acuminatis: involucri squamis non fuscis et pilis caulibus, pedunculorum, petiolorumque subreversis, qua nota etiam a *F. collina* differt. Misit Buday e Sirmio. An *F. elatioris* varietas?

1224. *F. elatior.*

In silvis.

1225. *F. sterilis.* Comarum *Fragariastrum* Roth germ. II. 578. Willd. En. pl. h. ber. I. 558.

In silvis Matrae et Slavoniae.

1226. *Potentilla Anserina.*

In subhumidis, potissimum arenosis prope rivos.

1227. *P. rupestris.*

In montibus Matrae ad Baksa in silva, inter Lövö et Cseszteg, in monte pone arcem Lendva, ad Sz. Rochum in Muraköz, in praedio Diós, 1 milliari Keszthelyino distante; Posonii.

1228. *P. supina.*

In subhumidis, potissimum sabulosis, etiam in Scepusio. β . Caule inferne simplici, erecto. Ad Almas in ripa Danubii, Pesthini inque locis sabulosis. γ . Foliis omnibus ternatis, saltem tale specimen quondam legi sed N.B. folia desunt.

1229. *P. opaca.*

In Liptovia et Scepusio frequens.

1230. *P. laciniosa.*

An *P. ascendens* Willd.? Radix perennis, spithamaea longiorve, superne digitum crassitie aequans, ramosa, fusca. Canales ex eadem radice plures, pedales, erecti aut ascendentes, teretes culmo tritici crassiores, simplices, nec nisi apice in ramos tres divisi, in solo fertilior tamen ex axillis ramum unum alterumve aut rami rudimentum edentes, obscure profundeque rubentes, hirsuti, pilis reverso-patulis, albis, farcti

medulla alba. Folia petiolata et alterna; inferiora septenata, superiora quinata, ad ramos ternata, summa ramea simplicia: foliolis hirsutis, obscure viridibus, lineari-lanceolatis, inferne angustatis, profunde pinnatifidis: laciniis lanceolato-linearibus, antrorsum versis, acutiusculis, aliis integerrimis, aliis inferiore margine lacinae auctis minore, superiorum omnibus integerrimis. Petioli semiteretes, canaliculati, supra obscure rubentes, hirsuti, pilis longis, albis, patentissimis. Stipulae hirsutae, profunde laciniatae: laciniis linearibus, supremae integerrimae, lanceolatae. Flores erecti, pedunculati, e dichotomia ramorum alii, alii laterales, primariis e latere superiore rami minoris; foliis oppositis dichotomias stipantibus. Pedunculi teretes, hirsuti, obscure rubentes. Calycis foliola lanceolata, cuspidata, hirsuta; alternis angustioribus, sub-linearibus, longioribus, apice obscure rubentibus. Petala flava, obcordata, calyce paulo longiora, substriata. Stamina germinibus breviora, tota flava, caeterum congenerum. Pistilla in corpus rotundato-conicum congesta, plurima: stylus apice recurvus. Stigma obtusum. Fl. a fine Maji.

1231. *P. scepusiensis*.

Radix perennis. Caules ex eadem radice plures, spithama paulo altiores, pilosi, basi teretes, versus divisionem, uti rami altero latere planiusculi, erecti, inde a basi inaequaliter et imperfecte ter quaterve dichotomi: ramo altero brevior. Folia petiolata, alterna, ad divisiones caulis et ramorum subopposita, altero paulo altiore, ternata, foliolis basi integerrime incis, lobis obtusiusculis integerrimis, inferiora obovata, superiora cuneiformia. Petioli foliis breviores, hirsuti, supra canaliculati. Stipulae ovato-lanceolatae, obliquae, exteriore latere latiore acutae, supra subnudaе, subtus pilosae, integerrimae. Pedunculi oppositifolii supra dichotomiam enati, petiolis longiores, erecti, teretes, pilosi. Calyx hirsutus con-

generum: sc. basi integer i. e. monophyllus, decemfidus, laciniis exterioribus basi angustatis, interioribus dilatatis, acutiusculis; nonnumquam octofidus. Petala calyce breviora, obovata, integerrima, lutea. Stamina pistillo breviora, ad 20; filamenta subulata, lutea: antherae luteae, bilobae: lobis superne coeuntibus. Pistillum et fructus congenerum nudus. Crescit in montibus Scepusii; fl. in horto initio Maji.

1232. Agrimonia Eupatoria.

In ruderatis, fruticetis, silvis.

1233. A. agrimonoides.

In silvis Syrmii, Croatiae.

1234. Waldsteinia geoides. Willd. Beiträge II. 105. Pl. rar. Hung. I. t. 77 *).

Radix perennis, repens, hinc inde fasciculum foliorum caulesque promens, nigro-fusca, radículas fibrasque fuscas demittens. Caules ex eodem foliorum radicalium fasciculo plures, erecti aut obliqui, recti, teretes, semipedales aut paulo longiores, inferne simplices, superne pro inflorescentia divisi. Folia nervoso-venosa, utrinque subpilosa: radicalia longe petiolata, reniformia, quinqueloba, lobis inaequaliter lobatis serratisque, dentibus acutiusculis, apice fuscescentibus; petioli 2 ad 6 pollices longi, subtus carinati, supra canaliculati, angulis carinaque obtusis, pilosi, tandem calvescentes, basi

*) Character generis sec. Willdenow l. c. Calyx: Perianthium monophyllum, campanulatum, decemfidum, laciniis lanceolatis, alternis minoribus. Corolla: Petala quinque, subrotunda brevissime unguiculata, retusa, decidua, calyci inter lacinias majores inserta. Stamina: Filamenta numerosa (circiter 40), filiformia, calyci inserta. Antherae oblongae, versatiles. Pistillum: Germina duo, rarius tria, obovata. Styli subulati decidui. Stigmata simplicia. Pericarpium nullum. Semina bina seu tria nuda in calycis fundo. —

purpurascens, dilatati, pilis longis ciliati. Caulina pauca, breviter petiolata, patentia, unum in medio caulis, reliqua ad divisiones ejusdem et ad pedunculos sita, successive minora, triloba, inciso-dentata, dentibus fuscis. Stipulae basin petiolorum caulinarum stipantes oblongae, integerrimae, apice dentibus foliorum similes, pilosae et pilis longioribus ciliatae. Inflorescentia: caulis dividitur primum in ramos duos inaequales, quorum brevior, vix pollicem aequans, declinatur et folium unicum gerit, cui opponitur flos breviter pedunculatus, pedunculo aphylo ad angulum prope rectum prodeunte, inter quem et folium enascitur pedunculus longior, uni- aut biflorus, bracteis binis unicave instructus, ramus autem longior fere recta prodiens ad divisionem gerit plerumque bina folia et ternos communiter promit pedunculos: medium brevior, ebracteatum, uniflorum; et binos bracteatos, alterum plerumque uni-, alterum biflorum. Flores ante anthesin nutantes, dein horizontales. Bracteae stipulis similes, sed plerumque paulo longiores. Calyx decemfidus, campanulatus, subpilosus, decem lineis eminentibus in laciniis excurrentibus distinctus: laciniis patentibus, obtusiusculis, apice plerumque fuscis, alternis majoribus, lanceolatis, alternis linearibus. Petala quinque, calycem excedentia, patentia, lutea, nitida, jam subrotunda integerrima, jam ovata subtruncata aut nonnihil emarginata, calyci intra laciniis breviores inserta, marginibus baseos inflexis, ut in quibusdam Ranunculi speciebus, unguem brevissimum formantibus, post florescentiam decidua. Stamina numerosa, a 30 ad 40, corolla breviora, flava: filamenta filiformi-subulata, calycis lateri interiori infra petala inserta; antherae ovatae, per medium sulco excavatae, versatiles. Pistilla bina, raro terna, brevissime pedicellata: germinibus obovatis, subnudis, superne pubescentibus; stylis totidem, filiformibus, inferne tamen paulo cras-

sioribus pubescentibus, superne nudis, flavescentibus, stamina aequantibus, post deflorationem deciduis; stigmatibus simplicibus, obtusiusculis. Semina tot quot pistilla, pubescentia, fusca, ovata cum lineis tribus prominulis, duabus sibi invicem approximatis, et cum eminentia in basi, atque altera majore in apice, utraque excavata, ibi pro articulatione cum pedicello, hic pro recipiendo stylo. In valle silvatica versus Kovácsi, in monte Szántó, in montibus Hegyallja dictis, in dumetis vallis Kohlbachensis legit Wolny, e Transsilvania misit Baumgartner, in nemoribus Matrae et in monte Mecsek ad Quinqueecclesias.

1235. *Spiraea incana*.

Ad lacus Plitvicenses.

1236. *S. chamaedrifolia*.

Habitat in rupestribus Matrae (e. c. in Saskö), in rupibus Ránkensibus, in summitate montis Papuk, in Slavonia, ubi folia elliptica exhibuit, in Scepusio, unde a Szontag sub n. 33 indicato loco bei der Königsäge. Host illam e Matra pro *S. media* Smith declaravit.

1237. *S. oblongifolia*.

Corymbi terminant quidem ramulos laterales, quod autem etiam in *S. chamaedrifolia* aliisque affinibus obtinet, nec peculiarem notam suppeditat; cur ergo Willden. in En. pl. h. ber. corymbos terminales pro nota differentiali affert rationem non video. In monte Quinqueecclesiensi Mecsek. β . Foliis utrinque angustatis, plerisque profundius inciso-serratis. E Disznókö monte Matrae. Utraque haec varietas perquam similis est forma florum, foliorumque structura, *S. chamaedrifoliae*. Etiam in Saskö crescere asseruit Nesselthaler.

1238. *S. ulmifolia*.

In monte Guttin ad Kapnikbányam, in rupibus vallis per quam Borsa in montem Trojaga ascendit, tum in montibus

ad thermas Herculis versus limites Valachiae: c. c. in Domugled, Wolny reperit ad Schemnicium.

1239. S. crenata.

Folia speciminis ad Vacs lecti, sunt revera trinervia: nervis e petiolo ad apicem excurrentibus; sed ad Heves. in silva foliis subtriplinerviis erat; nervis in disco folii ortis plerumque subalternis, caeterum omnino similibus. *β. glaucescens.* Caeterum similis priori, sed foliis magis oblongis, cuneiformibus, subglaucescentibus, ut in Hevesiensi, triplinervi-venosis. Habitat in montibus Matrae, forsitan diversa species.

1240. S. Aruncus.

Vidi in planta mascula numerosos flores hermaphroditos, pistillis ab uno ad quinque. Habitat in umbrosis subhumidis Matrae, Scepusii, Marmatiae, Croatiae et ad Bartfam.

1241. S. Filipendula.

In pratis et pascuis siccis copiosa, intacta pecoribus.

1242. S. Ulmaria.

In pratis humidis, potissimum inter salices, tum in fossis.

Drupaceae.

1243. Amygdalus communis.

In silva ad Varasdinum.

1244. A. nana.

Budae in montibus apricis rarior, ad Budaörs copiosissima, ad viam Albensem versus Márton-Vásár, in margine silvae Hodos ad limites Cottus Albensis et Veszprémiensis copiosa, in Sárhegyö ad Gyöngyös, tum in montibus ad Szántó, Tálya, Tokay copiosissima, in aggere infra Szarvas, in pascuis et pratis siccis ad Mezöhegyes, in aggeribus Banatus e. c. inter Ostern et Hatzfeld.

1245. Prunus Padus.

In vallibus ad rivos Cottus Albaujváriensis, Sárosiensis,

Scepusiensis, in insulis Danubii, ad Posonium. In silvis Hadháziensibus repertum misit Samuel Diószegi.

1246. *P. laxiflora* mihi, an *P. semperflorens* Ehrh. et Willd. *P. serotina* Roth?

Frutex mediocris: ramis virgatis, erectis: cortice nigricante, laevi, epidermide cinerascete, successive evanida. Gemmae ovatae, fusco-nigrescentes: squamis exterioribus ovatis, integerrimis, concavis; interioribus oblongis, serratis. Folia petiolata, alterna, ovalia utrinque acuta, basi integerima cuneata, caeterum subbiserrata, dentibus nimirum aliis duplicatis, aliis simplicibus, obtusis cum brevissimo mucrone fusca, infimis binis, aut saltem unico, glandula obtusa fusca terminatis, glabra, subtus pallidiora, nervoso-venosa, reticuli venis conplanatis seu non eminentibus. Petioli semiteretes, supra canaliculati, glabri, eglandulosi. Stipulae lineari-subulatae, serratae: serraturis glandula fusca mucronatis. Flores in racemis terminalibus, laxis, 4—8-floris, longe pedunculati; pedunculis 1—3-pollicaribus, infimis folio, superioribus bractea lineari, serrata stipatis, quibusdam etiam medio, aut infra vel supra medium bractea instructis. Calyx tubo obovato, laciniis oblongis, tubo longioribus, obtusis, serratis; serraturis mucrone fusco terminatis. Petala alba, calyce longiora, obovato-cuneiformia, integerrima. Stamina corolla breviora: filam. setaceis, albis; anth. subrotundis, pallide flavis. Pistilla saepe bina (in horto), plerumque unicum: germine ovato, laevi; stylo filiformi; stigmatate obtuso. Drupa Dicitur habitare in fruticetis ad vineas Botyánenses, unde in hortum Acsaensem ante paucos annos illata fuerit.

1247. *P. insititia*.

In Banatu.

1248. *P. suaveolens* mihi an *P. insititia*?

Frutex 5—7-pedalis, altiorve, ramosus: cortice seniore

fuscescenti-nigricante, juniore cinereo ab emoriente epidermide, demum secedente, in ramulis hornis et annotinis pubescente. Folia convoluta, elliptico-ovata, obtusa, serrata: dentibus obtusis, incurvis, juniora, ut petioli, utrinque pilis densis canescentia. Stipulae lineari-subulatae, pubescentes, denticulis glandulosis serratae. Flores ad utrumque latus gemmae foliaceae bini, suaveolentes: pedunculi 3 — 4 lineas longi, a denso villo canescentes. Calyx basi in pedunculum nonnihil protracta subpubescens, caeterum glaber: laciniis oblongis, obtusis, tenuissime ciliatis. Corolla candida: petalis ovatis, obtusis, in brevissimum unguem coarctatis, uti et stamina atque pistillum ut in *P. spinosa*; stylus tamen pallidior et staminibus longior. Drupa . . . Differt a *P. spinosa*, cui simillima: statura majore; pubescentia copiosiore; foliis ovalibus; dentibus spicularum glandulosis; floribus majoribus, suaveolentibus, binis; florescentia paulo priore. Habitat cum *P. spinosa* in fruticetis Budae.

1249. *P. cuneifolia* vel *flava* mihi.

In Cottu Liptoviensi, ubi ad Madocsány in fruticetis crescit. *P. flava* et *spinosa* foliis ovatis, pilosis eodem tempore satae, primo et altero anno plerisque notis conveniunt: ramificatione nempe, foliatione, cortice glabro, foliis ovato-lanceolatis, acutis, serratis, simillime venosis; petiolis brevibus, purpurascens; stipulis lineari-subulatis, petiolo longioribus, dentatis: dentibus glanduliferis; sed differunt: *flava* foliis supra glabris, subtus subpubescentibus, aut etiam glabris, serraturis mucronatis, non paucis duplicatis; *spinosa* foliis utrinque pubescentibus, serraturis muticis, simplicibus. Petioli utrinque sunt marginibus ciliati; dens infimus stipularum plerumque elongatus denticulatus. Dens infimus foliorum glandulosus. Etiam tempore florescentiae, inflorescentia,

calycis et petalorum forma atque genitalibus conveniunt, sed in *P. spinosa* lacinae calyc. sunt denticulatae.

Leguminosae.

1250. *Ononis arvensis*.

Videtur diversa a *spinosa*: floribus in apice ramorum confertis, pilis calycum glandulosis. *α. spinosa* e Sirmio; *β. inermis* a Lumnitzer.

1251. *O. hircina*.

Habitat per totum regnum ab australibus ejus finibus usque in septentrionem: in Croatia, Slavonia, Banatu, in Cottu Aradiensi, Hevesiensi, Neogradiensi, Scepusiensi etc.

1252. *O. Columnae*.

Willdenow quidem pro *O. minutissima* declaravit, sed ab hac differt; radice perenni; foliis pubis, stipulis lanceolatis denticulatis. Foliola inferiorum foliorum subrotunda, mediorum obovata, superiorum oblonga, cuneiformia. Pili glanduliferi, viscidii. In montibus apricis Budae rarior, et in peninsula Tihany.

1253. *O. rotundifolia*.

An in Litorali hungarico?

1254. *Genista sagittalis*.

Caules basi decumbentes, radicanes, frutescentes, ramosi, ramis forma caulium sterilium et floriferorum erectis, palmaribus spithamaeis aut paulo longioribus, quin etiam pedalibus, floriferis triangularibus, angulo tertio minus eminente. Folia saepius ovata, quam ovato-lanceolata, variant pubescentia magis copiosa ut etiam a pilis mollibus densis canescant. Legumina pilosa. Habitat locis duris sterilibus e. c. in Banatu ad Guttenbrunn, in Cottu Bihar versus Rézbánya es Vaskó, in Cottu Castriferrei, ad Grusium, in Croatia ad superius Korenica, imo in ipsa alpe Plissivica, ubi hirsutior erat omnibus partibus.

1255. G. triangularis.

In rupibus calc. ad thermas Herculis, et in alpe Croatiae Számár.

1256. G. tinctoria.

Variat: *α.* glabra omnibus partibus glabris, in pratis humidis, *β.* subpubescens fol. margine aut etiam costa, ramulisque floriferis pubescentibus; subpubescens porro variat, caulibus seu ramis annotinis brevioribus (spithamaeis) et longioribus, simplicissimis et ramosis; foliis angusto-lanceolatis, et lato-lanceolatis. Dentes calycis angustifolii sunt lanceolato-subulati. Ramosam angustifoliam in Syrmio, ad Essekinum et ad Heves, aliam ramis simplicibus angulatis, sub nomine *angulatae* descriptam ad Bekecs legi sub initium Junii. Haec posterior videtur specie differre: nimirum ramis simplicibus, foliisque calycibusque villosis. Ad Heves lecta, ramis ramosis hirsutiae dictarum partium non differt: ergo si una, etiam altera specie distinguenda erit. *γ.* latifolia foliis ovato-lanceolatis. Calyces, corollae et legumina glabra. Ad Hollód et Venter in clivis arenosis et collibus siccis. *δ.* Seu ramis angulatis, foliisque pilosis. Ad Antal in monte pone arcem. Haec videtur esse *G. scariosa* Viviani.

1257. G. coriacea mihi.

Caules erecti, basi lignosi, ramique teretes, sulcato-angulati, subdivisi, pilosi. Folia coriacea, mucronata, basi cuneiformia angustata, sessilia, supra glabriuscula, lucida, subtus nervoso-venosa, pilosa. Bracteae foliis multo minores, ovato-lanceolatae, acuminatae, trinerviae, subtus pubescentes. Stipulae spinae subulatae, longiores quam in *tinctoria*. Habitat in silvaticis Budae, floret serius quam *tinctoria*.

1258. G. nervosa mihi.

Host pro *G. tinctoria* declaravit, Willdenow forte diver-

sam dicebat. Discrimen indicatum inter descriptiones reliquarum. In silvis Sümeghiensibus, Syrmiensibus et Banatus. Omnes partes, demta corolla, pilis longiusculis obsitae. Folia nervoso-venosa. Major ramosiorque obvia fuit in fruticetis ad Sz. Miklos ultra Kanisam in limite Cottus Sümeghiensis, tum in Syrmio. Posteriore loco eam etiam foliis omnino ovatis legi. A Balbis pro *G. ovata* missa, pro qua et ab aliis habetur.

1259. *G. ovata*. Pl. rar. Hung. I. t. 84.

In collibus et montibus Banatus.

1260. *G. procumbens*.

In Matrae apricis et silvaticis. In hirtis ramos sesquipedales profert floribus aureis dense obsitos, tum planta venustissima. Flores in culta etiam quaterni, quini. Caules seu rami aut simplices sunt, aut ramosi. Pedunculi folia non semper excedunt.

1261. *G. elliptica* mihi.

Radix lignosa, ramosa. Caules basi fruticosi, decumbentes, pennam anserinam crassitie aequantes, prominentes ramos erectos et ascendentes, pedales et sesquipedales, obtuse angulatos, pubescentes, plerisque simplicissimos, paucissimos ramulis sterilibus infra flores instructos. Folia numerosa, sessilia, simplicia, inferiora ramorum remotiora, ante florescentiam caduca, tuberculo residuo, elliptico-lanceolata, inferiora obtusa, superiora acuta, supra glabriuscula, subtus pubescentia pilis appressis. Flores axillares, in medio ramorum, apice elongato floribus destituto, solitarii, bini ternive, pedunculati, pedunculis folio duplove brevioribus, pilosis. Calyx subturbinnatus, pubescens, bilabiatus: superiore labio bi-, inferiore tridentato dentibus acutis. Corolla scabra, flava, alis vexillo, carina alis paulo longiore. Legumen compressum, subfalca-

tum, hirsutum, vel stylo longius persistente incurvo aristatum. Habitat in montibus Ménesiensibus e. c. ad rudera arcis Világos.

1262. *G. pilosa*. *Chamaegenista* I. Clus. hist. 103.

Variat foliis acutis et obtusis, complicatis et (in vegetiore planta) planis, supra glabriusculis aut pubescentibus; angustioribus, latioribusque, semper versus basin angustatis subcuneiformibus, quandoque densissime congestis, alias remotis; semper subtus sericeo-pilosis, apice recurvis, hinc non raro apparenter marginatis. Habitat in montibus potissimum calcareis, locis fere humo destitutis, sterilibus Budae, in Banatu, in Cottu Nitriensi et Turociensi atque Liptoviensi, inque Croatia ut in monte Merszin lectam pro *G. decumbente* habui. Etiam in Cottu Castriferrei et in Matra.

1263. *G. sericea*.

In alpinis croaticis montium Velebich.

1264. *G. germanica*.

Spinae simplices et compositae (nec verrucoso-compositae ut Willdenow), ad basin saepe tuberculo, quod est gemma foliorum non evoluta, stipata. Variat: *α*. foliis lanceolatis, acutis, qualis in Cottu Castriferrei, Szaladiensi, in Muraköz in silvis et fruticetis occurrit. *β*. Foliis ovalibus, obtusiusculis, qualis in silva ad Herlein, et ni fallor in Croatia reperitur, magis hirsuta. An distincta species?

1265. *G. silvestris*.

Spinae quandoque 1½ — 2-pollicares, sed racemus non elongatus. Talis ad viam Carolinam in Croatia occurrebat. *β*. Spinis paulo brevioribus, racemis latioribus, in montibus ad Máda, et in Cottu Szathmariensi ad Erdöd.

1266. *Cytisus Laburnum*.

Habitat in silva pone Quinqueecclesias sub monte Mecsek, in valle versus rudera arcis Kantovár.

1267. C. alpinus.

In silvis et ipsis alpibus montium Velebich ad limites Croatiae e. c. supra Divo Szelo, in Maly Uraly, sub alpe Vissoszica, in silva non procul Medák.

1268. C. nigricans.

In silvis et fruticetis per totum regnum ab austro usque in septemtrionem ubique.

1269. C. elongatus. Pl. rar. Hung. II. t. 183.

A *C. trifloro* non differre notat Schultes.

1270. C. biflorus. Pl. rar. Hung. II. t. 166.

Habitat in arenosis ad Izsák, in praedio Bugas, in Comitatu Sümeghiensi versus Rendek, Pesthini in clivis arenosis. Pili caulis, ramorum, foliorum, calycuum appressi, sericei. Magnopere variat: caulibus potissimum, qui nunc longiores, nunc breviores, simplices vel ramosi, erecti, declinati, decumbentes vel prostrati descripserim: sed in hortum translatus caules ramosque erectiusculos virgatos protulit, non jam distinguendus. Etiam in Scepusio ad Lomnitz et alibi in asperis. In junioribus ramis cortex, petioli, foliola subtus, pedunculi calycesque pilis sericeis appressis sunt incani, quae vero qualitas in speciminibus ad Zankó non procul Sz. László supra Sümegh. et in monte Harsány Cottus Baranyensis lectis minus conspicua est, eadem etiam foliolis majoribus abluuntur ut primo intuitu distinctae species videantur. In silva Debrecinensi, ad N. Károly.

1271. C. purpureus.

In montanis Croatiae.

1272. C. falcatus. Pl. rar. Hung. III. t. 238.

In alpe Plissivica et monte Merszin. Simillimum legi ad lapicidinam Gyöngyösiensem subfinem, et in P. Sz. Márton, ut videantur, an non *C. falcatum* cum *C. supino* jungunt?

1273. C. supinus.

In montanis apricis montium mediterraneorum e. c. Buda, Budaörs, Pomász etc., ad Bekecs Cottus Zemplin.

1274. C. serotinus mihi.

Caules ramosi, ascendentes aut erecti, ramis teneris, hirsutis. Foliola oblonga, petiolo paulo longiora, obovato-cuneata, mucronata, obtusa aut acutiuscula, supra glabra, subtus hirsuta pilis subsericeis, brevissime petiolata; petiolus communis hirsutus pilis, ut in ramis, patentibus. Flores laterales axillares, bini, terni, pedunculati, erectiusculi. Calyx cylindricus, hirsutus, bilabiatus, labio superiore bilobo. Corolla flava, glabra, magna. Stamina omnia connata. Legumen hirsutissimum. Differt igitur a *C. hirsuto*: foliolis oblongis, supra glabris; floribus lateralibus binis ternisque, florescentia serotina. Folia *C. hirsuto* utrinque hirsuta, obovata, dicit M. B., et flores laterales aggregatos. In nota vero hos fere per totos ramos sparsos, solitarios vel geminos esse dicit. Ad pedem montis Nagyhegy non procul Munkács et in silva Gödöllő.

1275. C. scepusiensis mihi.

Similis sed leguminibus glabris, tantum ad suturas pilosis in Scepusio occurrit in silva episcopali excisa, a Mauksch sub nom. *C. supini* Majo florens missus. Foliola vel acuta vel obtusa cum mucrone, subtus sericeo-hirsuta. Pili ramorum, pedunculorum, calycumque longi, patententes.

1276. C. hirsutus.

Quandoque in diversis ejusdem stirpis ramis flores sunt laterales remotiusculi, alii conferti subaggregati, nonnunquam prope ad *C. capitatum* accedit inflorescentia, prolongantur tamen rami ultra flores, ut hi laterales evadant, nec capitulum terminale subumbellatum, ut isti. Ad Keszthely, Nagyszöllös

in silva Szaladiensis, ad Szalabér inter vineas, ad Varasdinum. Budae quoque.

1277. C. capitatus.

Valde variat nisi sint diversae species cultura dignoscendae est enim: α . caulibus simplicibus; foliis oblongis acutis, utrinque pilosis, qualis in Scepusio, in Cottu Comaromiensi ad Tatam occurrit. β . Caulibus simplicibus; foliis oblongis, acutis, supra glabris, qualis alibi lectus. γ . Caulibus simplicibus: foliis obovatis, obtusis mucronatis, subtus hirsutis, supra pilis rarioribus adpersis. δ . Caule superne ramoso; foliis utrinque pilosis, pilis juniorum ferrugineis, qualis ad P. Sz. Márton et ad Mád lectus. ε . Caule superne ramoso: foliis supra glabris aut glabriusculis, subtus hirsutis, pilis juniorum ferrugineis. In Syrmio alibique occurrens et a DC. missus sub nom. *C. hirsuti* All. an etiam L. caule superne ramoso: foliis obtusissimis aut subemarginatis, supra glabris, subtus hirsutis pilis albis. In Cottu Sümeghiensi, in Auwinkel Budae similis occurrit, sed foliis supra nonnihil pubescentibus. Foliola quaequam etiam acutiuscula. Pili sericei. ζ . Caulibus longitudinaliter ramosis: ramis erectis. Pesthini occurrit. — Corollae omnium glabrae; caules petiolique pilosi pilis patentibus; calyces et legumina hirsuta pilis laxis.

1278. C. leucanthus.

Foliola in culta planta quidem (ut in definitione a Willdenow describuntur) elliptica, glabra, ovata; sed in spontanea semper hirsuta, plerumque obovata, cuneiformia, non raro obtusa mucronata, semper autem pilis ramorum foliorum et calycum appressis, et corollis pilosis, pallidis diversus, et caule valde ramoso. In silvis Banatus e. c. ad Gutttenbrunn, versus Lippam, alibique inter hoc oppidum et Temesvarinum corollae albae, in apricis autem ibidem et ad Toplec inter

Mehadiam et Orsovam, ad Harsány et Miskolc in Cottu Borsodiensi, ad Hollód in colle vinifero, ad Erdő Bénye, et in monte ad Joseffalva in Cottu Tornensi, et in Cottu Gömöriensi flavescentes albidi seu pallide ochroleuci flores. Legumina semper hirsutissima. Pedunculi breves. Etiam ad Nagy Károly observatus. Foliola non raro lanceolato-cuneiformia acuta; ut inter Temesvarinum et Guttonbrunn, in silva Brukenaviensi. In montibus Ménesiensibus legi similem illi, qui ad Erdő-Bénye lectus est. Balbis misit similem, sed magis hirsutum et incanum, foliolisque minoribus cum quaestione an tuus *C. pallidus* vel *C. leucanthus*?

1279. **C. prolifer** mihi, sed datur jam hujus nominis ergo *C. pullulans* mihi.

Similis *C. leucantho*, sed caules ramique pilis brevissimis tecti ut fere tomentosi appareant, foliola magis oblonga, pubescentia; pedunculi longiores, fere calycis longitudine, non raro biflori, bracteati: bracteis linearibus, duabus, alternis, altera brevior, calyci contigua; ramis floriferis et umbella sub ipsa florescentia; corollae flavae: vexillo pubescente, calyx profunde bilobatus, pilosus.

1280. **C. austriacus.**

In arenosis caules basi decumbentes, divisi in ramos erectos, saepe vix spithameos, plerumque simplicissimos, folia reliquaeque partes valde incanae. Alias caules erecti, plerumque superiore parte longitudinaliter ramosi, pedales sesquipedalesque. Caeterum caules foliaque sericeo-pilosa, nec (ut Willdenow in definitione dicit) strigoso-pubescentia. Pili decumbentes, in calyce patuli. Flores brevissime pedunculati. Calyx bilabiatus, labio superiore bilobo, vexillum pubescens pilis longiusculis. Pilis caulis decumbentibus seu subappressis a *C. capitato*, cui saepe similis, facile distinguendus: hinc

... patentibus sunt. Infestatur saepe *Cuscuta europaea*. Variat forma et latitudine foliolorum in monte Gerardi et foliolis obtusis, cuneatis, brevissime mucronatis; alibi angustis, acutis; ibi valde canescit a pilis sericeis densissimis.

1281. *Anthyllis vulneraria*.

In calidis frigidisque regni provinciis, quin et in alpinis occurrit. Variat: *α*. foliis omnibus aut plerisque pinnatis; *β*. foliis omnibus integerrimis aut caulino ternato vel subpinnato, qualis in alpinis Scepusii et Com. Thuroc. occurrit.

1282. *A. montana*.

Sed caules perperam herbacei dicuntur. In Plissivica alpe Croatiae.

1283. *A. alpestris* vel *glaucescens* mihi.

Radix perennis. Caules ex eadem radice plures, decumbentes, simplices, raro ex axilla una alterave rudimentum rami aut pedunculum floriferum exserentes, palmares aut spithamaei, teretes, pilis appressis tenuissimis canescentes. Folia glaucescentia, supra glabra, subtus pilis brevibus adpersa, margine ciliata, obtusa cum brevissimo mucrone: radicalia petiolata, integerrima, simplicia, oblongo-elliptica, petiolis breviora; petioli subcompresso-teretiunculi, pilis appressis brevibus pubescentes, supra sulco marginibus eminentibus, argutis cincto exarati; caulina 2, ad summum 3, quorum infimum e basi caulis ortum, pinnata: foliolis 5 — 7, subsessilibus remotis, elliptico-lanceolatis, basi nonnihil angustatis, extimo maximo, lateralibus versus basin petioli decrescentibus, infimis duobus basin hujus more stipularum obidentibus in folio supremo reflexis, in inferioribus deficientibus. Flores in capitulis 10 — 12-floris, lateralibus subsessilibus 2 — 3, terminali pedunculato, deflexo, cinctis bracteis binis palmatis, exteriore inferioreque majore 4 — 6-fida, altera

superiore trifida; utraque extus pilis longioribus obsita: laciniis lineari-lanceolatis, acutis, longius ciliatis. Calyces tubulosi, subcompressi, inflati basi angustati, ore contracti, membranacei, hirsuti, albidi, versuris flavescentes: labio superiore longiore latioreque ovato, vexilli duplo inferne incumbente, apice bifido, dentibus binis lateralibus infimoque linearibus. Corolla flava; vexillo obovato, marginibus inferne in calcar recurvum praecedentibus, ungue lineari, a reliquis distante sustentato: alis vexillo brevioribus, carinae aequalibus oblongis, obtusis, intus concavis, oblique tortis, ungue lineari insistentibus. Carina conduplicata, subinflata, obtusiuscula; ungue bifido sustentata. Stamina 10, unum liberum: filamentis reliquis connatis, tantum apice incurvo liberis; antheris minutis, oblongis, flavis. Germen pedicellatum, oblongum, compressum, viride, nitidum. Stylus albus, capillaris. Stigma paulo crassius ad ortum curvatum. Legumen . . . Habitat in alpihus Croatiae.

1284. *Medicago sativa*.

In pratis.

1285. *M. declinata* mihi, *M. polymorpha*, *tenuis* mihi.
An *M. glomerata* Balbis.

Similis *M. prostratae*, sed diversa caulibus erectiusculis declinatis, undique ramosis (nec prostratis, distiche ramosis); foliolis linearibus, versus apicem nonnihil angustatis (nec inferiorum obovatis, superiorum cuneiformibus); pedunculis 12—14-floris (nec 8—10-floris); pedicellis calyce brevioribus (nec longioribus); floribus paulo majoribus; intensius flavis, herba subcanescente; florescentia maturiore. In montibus apricis rupestribus e. c. aquilarum Budae, Szántó ad pagum cognominum, Matrae ad lapicidinam Gyöngyös.

1286. *M. recta* mihi.

Caules decumbentes, ramosissimi. Foliola lineari-cunei-

neiformia, apice emarginata cum mucrone et prope hanc serrata, caeterum integerrima, striata seu lineata. Stipulae subulatae, basi dilatato-dentatae, superiores integerrimae. Petioli foliis breviores. Corymbi florum simplicissimi iis *M. prostratae*: pedunculis folio paulo longioribus, pedicellis calycem aequantibus. Bractee pedicellis breviores, basi latiusculae inde setaceo-acuminatae. Calyx campanulatus, dentibus subaequalibus, subulato-setaceis. Corolla flava *M. prostratae*. Legumen rectiusculum, glabrum. Caeterum tota planta (denta corolla) canescit a pilis tenuissimis brevissimis. In monte Gerardi. Floribus foliisque simillima *M. prostratae* et *declinatae*; sed diversa leguminibus rectiusculis. A *M. falcata* autem, cui legumine propior, differt: caulibus duplo brevioribus, foliolis lineari-cuneiformibus, apice serratis (nec tridentatis); stipulis minoribus (dentatae sunt inferiores etiam in *M. falcata*); canescentia omnium partium a pilis minutis (qui desunt *falcatae*); legumine rectiusculo. Legumen quandoque ab insectis striatum inflatum et ovatum. An mera varietas *M. falcatae* cum stipulae inferiores etiam denticulatae, et quandoque foliola apice subserrata?

1287. *M. falcata*.

α. glabra, junioribus tamen partibus levissime subpubescentibus. *β. pubescens*, omnibus partibus (denta corolla) etiam leguminibus pilis brevissimis dense obsita. In aridis collibus et montibus, si fere omnia aestu evanescent, lacte vegetat.

1288. *M. lupulina*.

Apud nos stipulae dentatae, foliola obcordata: cum definitio fallit. Tota pubescit, etiam legumina immatura. Habitat in hortis et graminosis per totam Hungariam atque in Scepusium et Arvam. Fl. Junio.

1289. M. orbicularis.

Supra Banofce in alta ripa Danubii ad vineas.

1290. M. maculata.

Hanc et ego legi et e Syrmio misit Wolny, qui eam in pratis Carlovicii, atque inter Remetam et Krushedol, ut *T. pallidum*, frequens esse nuntiat.

1291. M. Gerardi.

Ad Semlinum, Pancsovam, Versec.

1292. M. minima.

Occurrit etiam stipulis subdentatis et dentatis. Floret Majo in aridis habitans.

1293. M. banofcensis interea mihi.

Supra Banofce ad vineas cum *M. orbiculata* et *Trigonella monspel.* lecta est pumila species flores quidem sed nondum fructus tum exhibens. Caules aliquot vix digitales, simplices, angulati. Foliola emarginata, parte superiore denticulata, inferiore integerrima, inferiora subrotundo-obcordata, superiora obcordato-cuneata. Stipulae subulatae, setaceo-dentatae. Pedunculi biflori, foliis breviores. Superior pars nonnihil pubescit, caeterum glaber.

1294. Trigonella monspeliaca.

In clivis Pesthanis, in monte Gerardi, in litore alto Danubii ad Banofce, ad Pancsovam et Versec in pascuis.

1295. Melilotus coerulea.

Budae in moenibus, in praediis Cottus Albensis, neque pratis ibidem ad Nagy-Pél. Stipulae dentatae, superiores integerrimae, pleraeque apice bifidae. Foliolorum et stipularum dentes mucronati. Dens cal. inferior reliquis paulo longior. Apex leguminum subrecurvus.

1296. M. laxiflora mihi.

Similis *M. coeruleae*, sed pubescens (licet aliqua pubescentia etiam in *M. coerulea* observetur); stipulae subulatae,

longiores basi subdentatae; foliolis nonnisi apice mutice dentatis (nec mucronato-dentatis) mucrone apicis longiore: floribus paucis (6—10), in racemo oblongo, laxo, longius pedicellatis, duplo majoribus; pedunculo racemi vix folium excedente, calycibus dentibusque horum duplo longioribus. In Hungaria legi, sed non memini ubi.

1297. *M. macrorrhiza.* Pl. rar. Hung. I. t. 26.

1298. *M. palustris* mihi.

Etiam Sprengel pro nova cum certitudine declarat. Radix Caulis erectus orgyalis, angulatus, ramosus. Foliola linearia obsolete serrata aut integerrima, apice emarginata, aut truncata cum brevissimo mucrone. Petioli foliolis breviores. Stipulae subulatae, simplices. Racemi florum densi cum pedunculo foliis duplo longiores. Bractee setaceae, brevissimae. Calyx campanulatus. Corollae flavae, paulo majores quam *M. officinalis*, alis carina, vexillo alis paulo longioribus. Legumen monospermum, calyce multo majus, oblique ovatum, subcompressum, utrinque acutum, nigrum, rugis elevatis reticulatum, valde odorum. Semen fuscum, glabrum, ad stylum hinc gibbum. Habitat in aquosis, palustribus, inque arundinetis Banatus e. c. ad rivum infra Jókut (Guttenbrunn), inter *A. Phragmitem* ad Keszénc et Buzád sub colibus vitiferis.

1299. *M. officinalis.*

Bartfae lecta legumina magnitudine *M. palustris* habuit. Ad Quinque ecclesias legi, caeterum convenientem, etiam corollis flavis, sed leguminibus monospermis.

1300. *M. dentata.*

Habitat in humidis et uliginosis: Budae ad lacum salsum non procul Naszbrunn et versus silvam cameralem, in litore depresso Balatonis ad Vörös Berény, Keszthely, Badacson

ad stagnum superius in peninsula Tihany. In pratis humidis
Cottus Sümeghiensis.

1301. M. vulgaris.

Potissimum in solo arenoso provenit.

1302. Trifolium angulatum. Pl. rar. Hung. I. t. 27.

In salsis et subsalsis Cottus Pesthiensis et Cumaniae minoris; Cottus Heves. ad Haláz in pratis.

1303. T. strictum. Pl. rar. Hung. I. t. 37.

In herbidis Cottus Bihariensis, tum ad Vámos Györök.

1304. T. parviflorum. Pl. r. Hung. III. t. 252. *T. hortobágyense* mihi.

Habitat in locis salsis; in graminosis ad Gyöngyösimum; in arenosis *Hortobágy*. Cel. Schreber in Sturmii speciebus *Trifolii* (Kleearten Deutschland's von Sturm, Nürnberg 1804): *T. parviflorum* Ehrharti pro *T. stricto* L., Michelianum autem a L. citatum pro distincta habet specie. Icon autem (a Sturmio) data; a nostro discrepat.

1305. T. hybridum.

In pratis et agrorum marginibus. Varietatem viviparam in humidis Rovnye Cottus Trencsinensis invenit Rochel.

1306. T. repens.

Copiosissimum in pratis humidis, et in agris Banatus plani.

1307. T. glomeratum.

Inter specimina *T. parviflori* inventum, an eodem loco natum?

1308. T. diffusum. Pl. rar. Hung. I. t. 50.

In agris arenosis praedii Vacs, atque ad Nagy Körös, tum ad Hortobágy et in monte vitifero ad Versec, ad Mezöhegyes, in praedio Bozsitova non procul Hatzfeld.

1309. T. rubens.

In silvis, potissimum caeduis, et rarioribus e. c. Budae, in Nyir.

1310. T. pratense.

α. glabriusculum, foliolis subintegerrimis. Sub nom. *T. alpestris* et n. 165 misit Mauksch specimina, quae Julio in alpidibus florebant, et alterum n. 164. *β.* pilosum foliolis inferioribus emarginatis, superioribus dense denticulatis; mucronatis. *γ.* Caule simplici spithamaeo decumb., foliolis obovatis, denticulatis, summis 2 a spica remotis. In alpidibus Zoliensibus.

1311. T. expansum. Pl. rar. Hung. III. t. 237.

In Cottus Bihariensis et Banatus graminosis, e. c. ad Gyapja.

1312. T. medium.

Habitat per omnem Hungariam a Croatia et Slavonia in Scepusium usque potissimum locis collinis et montanis. A Wolny e Sirmio missum sub n. 1. sine nomine speciei, a Szontag sub n. 24. 26, a Mauksch e subalpinis sub n. 163 et nomine *T. an reflexum* nota: Julio Augusto rarissime; folia tactu mollia. Calyces purpurascens, tubo glabro, dentibus villosis. Non refugit loca lapidosa, arida, nec siccitate diuturna laeditur, ut in monte supra acidulum Kobola Polyá-nensem et in Matra vidi.

1313. T. ambiguum.

Aut *T. medii* insignis varietas aut distincta species: caulibus rectiusculis; foliolis minoribus, obovatis; stipulis longioribus lanceolatis; capitulis florum minoribus, pedunculatis; dentibus calycinis corollae tubo longioribus. Foliola denticulata, mucronata, nervoso-venosa, subtus petiolique ramique: stipulae glabrae: apice ciliatae. Primo intuitu ad *T. pratense* accedit: ergo ante *T. medium* ponendum.

1314. T. alpestre.

Caulis quandoque ramos inferne promit erectos: foliola non raro oblongo-ovata; capitula saepius solitaria. Wolny

misit tale specimen: caule basi ramoso, foliolis oblongo-ovatis sub 83.

1315. *T. pannonicum*.

Occurrit caulibus erectis, 2-pedalibus ramosis, et ascendentibus, vel decumbentibus, subsimplicibus; illi foliola sunt obtusa, superiora acuta, et emarginata cum mucrone et apice subdenticulato, capitulum breve, subrotundum; an igitur posterior varietas distincta species. Prior varietas in silvis potissimum caeduis, non tantum montanis, sed et planioribus ut ad Nagy Károly in Nyir, in ipso etiam Scepusio occurrit unde missa a Szontag sub n. 27 et 29. Versus Palocsam ipse legi.

1316. *T. villosum* Willd.

Mauksch stirpem hanc misit sub n. 166 et interrogatione: an *T. ochroleuci* varietas? Habitat in alpibus, ubi Julio floret. —

1317. *T. pallidum*. Pl. rar. Hung. l. t. 36.

In graminosis Banatus et Slavoniae.

1318. *T. ochroleucum*. *T. cinerascens* mihi.

In silvis et graminosis silvaticis Junio, Julio. Rochel misit e monte Gölle sub? Spicae fructus cylindratae evadunt in vivaciore planta. Budae, ad Lókút, in Syrmio, ad Pomász. Occurrit caulibus simplicibus et ramosis etiam in pratis et pascuis Mezöhegyesiens.

1319. *T. angustifolium*.

In Croatia nondum evolutum reperi, quod idem esse videtur.

1320. *T. arvense*.

Ubique in arvis, at post messem inter stipulas, alibique.

1321. *T. alopecuroides* mihi.

Simile sub nom. *T. Molineri* accepi, sed totum incanum,

magis lanatum interim vix diversum. In graminosis montanae Croatiae inter Rákovic et Vaganac.

1322. T. striatum. Pl. rar. Hung. I. t. 25.

Occurrit in siccis maerioribus locis ad Tarján in pratis, ad Szomod Cottus Comaromiensis non procul Tatra, in Banatu ad Versec alibique ad Csokay, et versus Szaránd (in Cottu Bihariensi), in salsis Cottus Békés. et Csongrád., ad Dognacska in Banatu. A Panzer et Rochel accepti sub nom. *T. gemelli*. E Slavonia attuli vix 1½ poll.

1323. T. recurvum. Pl. rar. Hung. II. t. 165.

Idem missum a Balbis sub nomine aptiore *T. vesiculosi* Savi monogr. Trif. Ad Gyöngyös, in Cottu Békésiensi locis subsalsis, in Banatu (Cottu Torontál.), ad Tisza Földvár. In apricis aridis ad Gyöngyös occurrit pumilum, vix tripollicare, spica unica, conica, caule simplicissimo.

1324. T. fragiferum.

Ab ill. Festetics allatum. Caules decumbentes, radican-tes, breves, stipulis tecti, glabri. Foliola subrotundo-ovata vel obovata, emarginata, nervosa, denticulata, juniora rachi pubescentia, demum penitus calva. Petioli elongati, inferne glabri, superne pubescentes. Stipulae lanceolatae, subulato-cuspidatae, glabrae, margine membranaceae. Pedunculus foliis fere duplo longior, teres, pubescens, pilis patentibus. Capitulum subrotundum, bractea submembranacea multifida arctecinctum. Calyx tubo striato, pubescente, dentibus setaceis, glabris, subaequalibus, erectis. Corolla rubella, glabra.

1325. T. montanum.

In pratis siccis; collibus montibusque apricis sub Austro.

1326. T. agrarium.

In silvis ad acidulas Herleinenses et Bartfenses. In graminosis montanis Cottus Castriferrei, Scepusiensis, Syrmienensis.

1327. T. spadiceum.

In Scepusio ad Hradek et Antal.

1328. T. badium.

In alpium Scepusiensium pascuis (unde a Mauksch pro *T. spadiceo* missum), ad pedem montis Kriván. —

1329. T. campestre.

A Lumnitzer pro *T. procumbente* missum, in pratis humidis Cottus Bihar a me lectum.

1330. T. procumbens.

In sabulo insularum Syrmii legit Wolny, pro *T. agrario*, supra Podolinum Mauksch, in Banatu e. c. in silva Temesvariensi ego.

1331. T. filiforme.

In pratis humidis ad Sz. Jobb Cottus Bihar., Posonii a Lumnitzer, in silva ad Varasdinum a me lectum.

1332. Doryenium herbaceum.

Foliola nec sunt obovata, nec obtusa, verum obverse lanceolata, rarius obovato-lanceolata (qualia M. B. *D. monspeliensi* tribuit), superiora acuta, inferiora mucronata. Caulis basi plerumque frutescens. Hinc pro *D. monspeliensi* haberem, nisi Willdenow pro *D. herbaceo* declarasset. Discrimina sufficientia caule in definitione non dantur. Ubique in collibus montibusque apricis aridis. *D. herbaceum* variat caulibus spithamaeis et $1\frac{1}{2}$ pedalibus: ramis patulis (quale in Világos C. Arad., et in C. Castriferrei), plus minus erectis (quale supra vineas Szerednyenses occurrit); partibus plus minus canescentibus: pedunculis junioribus calycibusque albo-sericeis; capitulis aphyllis et involucreatis seu bractea triphylla una binisve stipatis; (capitulis aphyllis in monte Sztinya). Ad Darúvár legi totum glabrum junioribus partibus canescentibus, ramis elongatis tenuibus. —

1333. D. monspeliense.

Definitione certe convenit. In Hungaria lectum.

1334. Lotus siliquosus.

Apud nos occurrit glabriusculus, foliis tantum margine pilis adpersis, quod et in *L. maritimo* ejus specimen Balbis miserat, obtinet, cui etiam ut nostro foliola punctata. β . in pratis ad Heves obviam habui, totum pilosum pilis patentibus. Habitat in pratis humidis, in Tauria autem in collibus herbidis (vid. M. B. Fl. taur.-cauc. n. 1535) an igitur noster *L. maritimo* accensendus? an hic a *L. siliquoso* specie non differt? Folia recentia, diaphane punctata, sicca excavato-punctata.

1335. L. gracilis. Pl. rar. Hung. III. t. 227.

In humidis graminosis ad Gyula, Varsánd, Cott. Arad., et in silva Temesvariensi Jagdwald loco simili.

1336. L. tenuis mihi.

In humidis ad Káloz, prope Balatonem ad Vörös Berény, Pesthini; ad Beregszász legi caulibus bipedalibus, prostratis. Radix perennis. Caules ex eadem radice plures, undique decumbentes atque diffusi, pedales aut sesquipedales, teretes, tennes seu filiformes (schnurförmig, doch viel dünner als Bindfaden), glabri, laeves, flexuosi, ramosi: ramis axillaribus alternis, demto pedunculo bi-tripollicaribus, floriferis, sterilibus brevioribus. Folia alterna, omnia breviter petiolata, patentia, glabra, ternata: foliolis lineari-lanceolatis, acutis, versus basin angustatis, brevissime petiolatis, lateralibus patentibus, subincurvis. Petioli foliis plusquam triplo breviores, subtus subcarinati, supra leviter canaliculati. Stipulae lineari-lanceolatae, acutae, longitudine foliolorum brevissime petiolatae, subincurvae, latere exteriori baseos paulo latiores. Flores quaterni, quini, semiumbellati, ad unum nempe latus conversi, nutantes, brevissime pedicellati, pedunculo communi

caulem ramosque terminanti, filiformi, bi-tripollicari, communiter flexuoso insistentes, bractea monophylla lineari, acuta, calycibus brevioribus stipati. Calyx obverse conicus, bilabiatus: dentibus subulatis, labii superioris binis, paulo brevioribus, sinu obtuso ab se invicem, et paulo latioribus a labio inferiore sejunctis. Corolla flava, post anthesin in badium colorem mutanda, paulo minor quam in *L. corniculato*: vexilli lamina supra per impressionem ab ungue reflexa, subrotundo-ovata, integerrima aut nonnihil emarginata, extus ante anthesin colore rufescente tincta intus lineis 6 aurantiis notata; unguis pallidus, canaliculatus marginibus inflexis, sursum versus dilatatus; alae oblongo-obovatae, concavae, conniventes, vexillo breviores, basi processu obtuso ab ungue lineari albo secedentes; carina alis paulo longior subfalcata, acuta, basi bifida, unguibus binis linearibus albis insistentibus. Stamina novem inferiore filamentorum parte coalita, decimum liberum, alterna breviora: filamentis albis, nitidis, antheris oblongis acutis, ochroleucis. Legumina subreflexa, teretia, glabra, laevia, stylo persistente aristata. Semina

1337. *L. corniculatus*.

α. totus glabriusculus: foliolis tantum junioribus subciliatis: calyce toto glaberrimo. In montibus inter Hradek et Sz. Iván, in Scepusio. *β.* subpilosus: caule et pedunculis pubescentibus pilis appressis, foliolis dentibusque calyc. ciliatis; tubo calycis jam glabro jam pubescente. Talis etiam in ipsis alpibus Plissivica et Velebich. *γ.* hirsutus. *L. arvensis* Schkuhr, *L. corniculatus α.* *L.* Caules sub-4-anguli; foliola ovata: bractee lanceolatae, binae seu ternae ubi flores deficiunt pedunculi teretes. Omnes partes, demta corolla, pilis patentibus longis obsitae. In graminosis Káloz Báb, in Schwabenberg Budae, inter vineas ad Szalabér. Corollae omnium sub exsiccatione viridescunt. Varietas *α.* glabra

est eadem cum *L. uliginoso* Schkuhr secundum specimen a Panzer missum.

1338. *Glycyrrhiza echinata*.

Locis humidiusculis calidioribus Hungariae ubique e. c. Budae, ad Szolnok, Szentes, Poroszló, Kovácsháza, Essekium, ad amnem Vukam in Syrmio, in Banatu. Stipulae lanceolatae, acuminatae; foliola juniora, subtus pubescentia et punctata cum glandulis resinosis in puncto immersis, supra punctis raris, sparsis, vacuis. Variat *a.* capitulis florum oblongis, longe pedunculatis; foliolis ovato-lanceolatis acuminatis. *β.* Capitulis florum globosis, subsessilibus, foliolis obovatis, mucronatis. An distinctae species?

1339. *G. glandulifera*.

M. B. in Fl. taur. cauc. dicit, hanc vix nisi leguminum setis a *G. glabra* differre. Habitat in insulis danubialibus.

1340. *G. glabra*.

In Syrmio supra Petrovaradinum, potissimum ad Korenicam copiosa.

1341. *Phaca frigida*. Willd. Sp. Pl. *P. alpina* L., *P. frigida* Jacq.

Foliola elliptica, subtus pallidiora, pubescentia, ciliata. Reperit Mauksch in summis alpinis Scepusii. Fl. sub Aug. in alpium inferiorum jugis solo sterili.

1342. *Astragalus dasyanthus* Pall. *A. eriocephalus* Pl. rar. Hung. I. t. 46.

In arenosis clivis e. c. ad vineas Rác Almásienses, Cottus Szabolessensis ultra Nyíregyháza, et in monte Tokay.

1343. *A. pilosus*.

Pesthini inter Rákos et molam Páskálianam. E Transilvania a Dr. Baumgarten; etiam e Syrmio missus.

1344. *A. virgatus*.

In clivis arenosis, e. c. inter Dunakeszi et Fóth, versus

Soroksár, ad Izsák, in praedio Bugacs, ad Nyíregyháza in Cottu Szaboles.

1345. A. asper.

Pesthini in clivis, in monte Gerardi aliisque Budae, ad Posonium unde a Lumnitzer sub nom. *A. alopecuroidis* et a Rochel sub nom. *A. pilosi?* missus.

1346. A. Cicer.

Foliola mutica et brevissime mucronata. Legumina non tantum pubescentia sed omnino pilosa. In pratis et graminosis silvaticis atque inter frutices.

1347. A. canescens mihi.

An varietas prioris, cui simillimus; sed omnibus partibus tenerior, etiam cultus, et a pilis copiosis decumbentibus canescens: foliolis ellipticis, muticis. Caules vix pede longiores, raro sesquipedales, angulati. Pedunculi folia aequantes (quod tamen etiam in *Cicere*). Calyces brevissimis pilis pubescentes: basi margine dentibus nigricantes (ut in posteriore). Legumina oblonga. Semina missa a Mauksch e Scepusio.

1348. A. glycyphyllus.

In silvis umbrosis prostratus, in fruticetis suffultus scandens, ubique etiam in Scepusio.

1349. A. contortuplicatus.

Infra vineas Pancsovienses loco graminoso.

1350. A. austriacus.

Legumina juniora canescunt a pilis appressis. Habitat in graminosis apricis substerilibus Budae, Pesthini, Cottus Veszprimensis et Mosoniensis.

1351. A. albidus.

In montibus apricis Budae, ad Budaörs, Inotam (in Hidégvölgy), Palotam.

1352. A. alpinus.

Calyces pilis nigris obsiti. In summis alpium pascuis Scepusii. Etiam e Transsilvania a Baumgarten.

1353. A. uralensis.

In frigidissimis alpium jugis Scepusii. Scapus quandoque folia aequat, nonnunquam iisdem brevior vix pollice longior. Etiam e Transsilvania sub nomine *A. montani* missus idem esse videtur.

1354. A. montanus.

Caules seu scapi aliquot ex eadem radice iidemque ut petioli et foliola pilis albis mollibus longiusculis plus minus pilosi; foliola jam lanceolata, jam ovato-lanceolata. Flores patuli, quos subnutantes ponit M. B., et erectos Willdenow. Habitat in editissimis alpium Scepusiensium jugis.

1355. A. monspessulanus.

Habitat in Transsilvania, unde a Dre. Baumgarten, et vicino Banatu.

1356. A. campestris. Pl. rar. Hung. II. t. 130.

In alpiis Croatiae Viszoesica, Bádány, Debelo Berdo, Szegesztán aliisque cacuminibus Velebich locis lapidosis. In alpiis Carpathum reperit Genersich.

1357. A. exscapus.

In clivis arenosis Pesthini, ad Heves (inter silvam), alibique.

1358. A. hypoglottis.**1359. A. oroboides.**

In alpe Kesmarkiensi Hinterleiten legit Wahlenberg, a Manksch pro *A. leontino* habitus.

1360. Pisum sativum.

Copiosum inter segetes Slavoniae, potissimum ad Karlovic.

1361. P. arvense.

Inter segetes Cottus Sárosiensis, Liptoviensis, Scepusiensis, Soproniensis.

1362 Ervum tetraspermum.

Habitat in graminosis siccis Cottus Szathmár., Scepus., Heves., in Syrmio etiam in Slavonia.

1363. E. hirsutum.

Discrimen inter hoc et praecedens constans fere tantum in hirsutie leguminum et numero majore foliolorum hujus est: nam caules utrinque 4-anguli, ramosi, debiles, jam glabri, jam plus minus pubescentes; foliola quandoque quidem paulo latiora magisque retusa (ut Smith notat), sed saepe etiam angustiora, magis acuta, aut saltem aequae angusta et acuta (qualia specimina in pratis udis), Cottus Baranyensis, in silva ad Pelyam, in pratis ad Essekinum legi, pedunculi saepius 1—2-flori, quam multiflori, legumina quidem huic disperma quandoque monosperma sed et *E. tetraspermum* in Matra inveni leguminibus 1—2-spermis, raro 3-spermis, rarissime tetraspermis; stipulae utrinque semihastatae, integerrimae, hirsutae, tamen inferiores non raro dentatae. Habitat in siccis, velut in montibus ad Mád, quam in udis et silvaticis. Legi etiam in Croatia, Syrmio, Banatu, Budae, Pesthini, in Cottu Bihar., potissimum sub fruticetis et in pratis.

1364. Vicia pisiformis.

Foliola ovata et orbiculata, integerrima et apice emarginata. In silvis caeduis potissimum et in fruticetis.

1365. V. dumetorum.

In sepibus, fruticetis et silvis c. c. Tatae, Cottus Castri-ferrei, Strigoniensis ad Maroth.

1366. V. silvatica.

Ad Herlein, in Scepusio, inter Hradek et Sz. Iván.

1367. V. cassubica.

Est verus *Orobus* omni nota. Stylus linearis teretiusculus supra villosus. Calyx basi obtusus gibbus seu uno baseos latere magis prominens: laciniis superioribus profundioribus, brevioribus. Etiam habitus *Orobi*, ut pro tali diu habuerim. Habitat in silvis caeduis, fruticetis, sepibus e. c. Budae, ad Mád, Hatrongyos (praedio C. Heves.), in Cserszek (C. Szalad?), in silva Szántóensi supra Budam, in Matra. Variat foliolis obtusis et subemarginatis; pubescentia nunc parciore, nunc copiosiore, caulibus simplicibus et ramosis (ut in Cserszeg), rectiusculis et flexuosis, foliolis lanceolatis et ellipticis in fruticetis montium Ménesiensium.

1368. V. villosa.

Vix differt a sequente, nam foliola jam elliptica obtusiuscula cum mucrone, jam lanceolata et acuta; stipulae integerrimae aut basi dente instructae, idque super eadem radice, imo in eodem caule. Foliolis obtusis in Syrmio lecta est; etiam a Vacs.

1369. V. polyphylla.

Inter segetes ad Vacium et Kosd, in Cottu Hontensi, Castriferrei, Bihar., Békés., Bács. Caules diffusi, teretes, sulcati. Folia 8—10-juga, foliolis oppositis, subalternisque, lanceolatis, acutis aut acuminatis, brevissime petiolatis. Petioli teretes, striati. Cirrhi compositi. Pedunculi elongati, teretes, striati, multiflori. Flores ad 20, secundi nutantes. Calyces versus dentes et his ipsis saepe coerulei, pilosi. Stipulae inferiores semisagittatae, mediae semihastatae, integerrimae. Caulis, petioli, pedunculi, cirrhi, stipulae, foliola et calyces hirsutiae densa cani. His cum notis legimus etiam in Plissivica, inque Liptovia, et misit Mauksch e Scepusio, sub nomine *V. villosae*, sed omnibus his in locis erat humilior, vix pedalis et erectiuscula.

1370. V. tenuifolia.

In montibus Cottus Castriferrei, in montibus calcareis aliisque siccis Scepusii, in silvis Budae et Cottus Sümeghiensis.

1371. V. oroboides.

In silvis ad Varasdinum, Priboj, in m. Merszin et Capella.

1372. V. sativa.

Plus minus pubescit. Stipulae plus minus dentatae, lobo baseos saepe recurvo falcato. Foliola non tantum retusa, saepe emarginata, inferiora cuneata, quin et oblongo-obcordata, semper mucronata. Lobus baseos stipularum saepe longior, subulatus, dentatus. (Pili petiolo e punctis elevatis, unde haec scabriuscula; legumina subpubescentia pilis brevissimis, e Scepusio a Mauksch et a me ad Sz. László Cottus Veszprim., inter segetes lecta. Dentes subulati, pubescentes.)

1373. V. angustifolia.

In graminosis et agris Pesthini, inque Syrmio, inque Scepusio (unde a Mauksch), ubi in fossis arenosis.

1374. V. scepusiensis interea mihi.

Caules angulati, sulcati (saltem in sicco). Foliola 7 — 9, subsessilia, subalterna, lanceolata, utrinque angustata, subulato-acuminata, striata. Flores subsessiles, axillares, solitarii, erecti. Calyx basi attenuatus, striatus, dentibus subulatis. Corolla coccinea, vexillo striato, alis pallidis. Legumen subsesquipollicare, erectum, compressum. Tota planta glabra demtis calycibus et leguminibus in quibus per lentem pili brevissimi appressi observantur. In hortis oleraceis Scepusii a Mauksch.

1375. V. pannonica Jacq., V. hirta DC.

Habitat in Croatia, Slavonia, Banatu, Transsylvania (unde

a D. Baumgarten missa sub nomine *V. hybridae*. Inter segetes, in aggeribus.

1376. *V. purpurascens* DC., *V. pannonica* β . Willd., *V. Moenchii* Schult., *V. striata*, *nissoliana* Gouan. herb. 51. secundum DC.

Cum priore.

1377. *V. sordida*.

Legumina (quae Willdenow in Sp. Pl. reflexa dicit) erectopatula, glabra, quibus notis a *V. lutea* et *hybrida* differt. A *V. laevigata* vera (Sm. Fl. brit. III. 743) discrepat radice annua: foliis emarginatis, basi angustatis, caulibus diffusis debilibus, leguminibus polyspermis (10 — 17-sperm.) nec 5-spermis. Quandoque caulis, folia, petioli calycesque pubescunt. Foliola plerumque emarginata, saepe inferiora obcordato-cuneata, superiora plerumque retusa, nonnunquam lanceolata. Habitat in pratis, fruticetis Cottus Sümegh. (e. c. ad Baboecam), Baranyensis, Syrmiensis, Banatus, Com. Bihar., Veröc. (e. c. ad Essekinum).

1378. *V. lathyroides*.

In graminosis siccis Budae, Banatus, Transsilvaniae. Etiam ad Pece Sz. Márton lecta. A D. Baumgarten sub nomine *Wiggersiae lathyroidis* missa. In silva ad Heves. etiam lecta.

1379. *V. sepium*.

Variat foliolis ovatis et ovato-lanceolatis (qualis ad Quinqueecclesias occurrit), pedunculis 2 — 4-floris, et multifloris (5 — 6 floribus, qualis ad Varasdinum lecta); foliolis apice integerrimis et emarginatis (qualis in silvis Cottus Bihar. obvia erat). Caeterum foliola obtusa cum mucrone. Stipulae inferiores dentatae, superiores hastatae integerrimae, summae lanceolatae. A Mauksch pro *V. sativa* missa.

1380. V. alternans vel alternifolia mihi.

Caulis ascendens vel erectus, spithamaeus, subquadrangulus, striatus, glaber, laevis, simplicissimus. Folia alterna, inferiorum foliolis conjugatis, obovatis, mucronatis, superiorum 4—5 alternis, lanceolatis, acuminatis, omnibus integerrimis, margine diaphano-scabriusculis, obsolete triplinervi-venosis, glabris, sessilibus. Stipulae hastatae, dentatae, acuminatae. Pedunculi axillares 2—4-flori, foliis duplo triplove breviores; flores pedicellati, secundi; dentes pedunculi communis seu receptacula, quibus pedicelli inseruntur ciliata. Calyces oblongi, striati, glabri; dentibus tribus inferioribus lanceolato-subulatis, setaceo-mucronatis, superioribus incurvis, mucronatis. Corollae albae: alae nigra macula ut in Faba. Habitat inter agros Banatus.

1381. V. serratifolia.

Ad Essekinum, Neoplantam, Vukovarinum, Pece Sz. Márton, Sopronium, in praedio Bositova ad Hatzfeld.

1382. Lathyrus Aphaca.

Inter frutices supra Kamenic versus et ad monasterium.

1383. L. Nissolia.

Occurrit caulibus spithamaeis et bipedalibus, solitariis et binis, quaternis, foliis angustissimis linearibus et lineari-lanceolatis, pedunculis 1 et 2-floris. Calycis dentes lanceolati. Reliqua vid. in Fl. brit. Habitat in graminosis ad Gyöngyös, in Cottus Bihariensis pratis et in colle vitifero ad Hollód, inque Banatu et in pratis versus Hidegkút.

1384. L. sativus.**1385. L. hirsutus.**

Pedunculi 1—2-flori, raro triflori; hinc difficulter invenitur inter species. In graminosis montis Budae, in pratis ad Kováesháza Cottus Aradiensis, ad Pece Sz. Márton Cottus

Bihar., Banatus, Slavoniae, *Cottus Bácsiensis*, etiam Mauksch misit semel inventum pedunculis omnibus unifloris, foliolis brevioribus fere ellipticis. In silva Temesváriensi foliolis angustioribus.

1386. *L. silvestris*.

In silvis et fruticetis, etiam Scepusii et Slavoniae.

1387. *L. latifolius*.

In apricis, duris, graminosis. Foliola plerumque elliptica.

1388. *L. palustris*.

In pratis humidis, arundinetis. Variat foliolis acutis et obtusis cum mucrone.

1389. *L. pratensis*.

In pratis, quin et in silvis frequens et in montibus Croatiae repertus. A Lumnitzer sub nomine *L. sepium* acceptus. Variat foliolis ovato-lanceolatis et lanceolatis: glabritie omnium partium et pubescentia earum, demta corolla.

1390. *Orobis laevigatus* mihi.

Probabilius *O. luteus*. Habitat in alpe Plissivica et in monte Merszin inter *Pinum Pumilionem*.

1391. *O. vernus*.

Lumnitzer pro *O. tuberoso* misit. In Scepusio legit Szontag.

1392. *O. praecox* mihi. *O. verni* varietas.

In nemoribus inter Sz. László et Sz. Endre. Nonnisi foliis angustioribus et florendi tempore differt ab *O. verno*.

1393. *O. pauciflorus*, *O. flaccidus*, *O. longifolius* mihi.

Foliola juniora flaccida sunt, cuspidata. Diversus ab *O. alpestri* potissimum foliolis longioribus, basi angustatis apice cuspidatis, trinerviis nec aequalis prope latitudinis, obtusis cum mucrone, 5-nerviis, caeterum conf. descriptionem utriusque. Habitat in silva ad amnem Plitvica.

1394. **O. alpestris.** Pl. rar. Hung. II. t. 126.

1395. **O. tuberosus.**

In silvis Croatiae.

1396. **O. ellipticus.**

Caulis erectus, simplicissimus, 4-angulus, angulis eminentibus, superne binis magis prominulis. Folia bi—trijuga: foliolis ellipticis, oppositis, subsessilibus, obtusis cum mucrone, quinquenerviis; petiolis subalatis seu marginatis, supra planiusculis, cirrho simplici subulato brevi terminatis. Stipulis semisagittatis, lanceolatis integerrimis, mucronatis aut supra lobum baseos, vel utrinque dentatis. Pedunculi pauci, pauciflori, erecti, angulati. Flores breviter pedicellati. Bractee in fructificante nullae. Legumina teretiuscula, polysperma, patentia, apice recurvo. Semina globosa, laevia, obscure fusca. Tota planta glabra, laevis. Habitat in Cottu Castri-ferrei ubi legit D. Küttel.

1397. **O. albus.**

In graminosis et silvis montium mediterraneorum.

1398. **O. pallescens.** M. a B. Fl. taur.-cauc. II. 153.
n. 1388.

Simillimus huic est *O. filiformis* DC., qui specimina communicavit tantum corollis coeruleis diversa. Etiam Sprengel pro eodem (*O. filiformi* DC. et *O. canescente* L. hunc nostrum habet, sed *O. canescens* caule est ramoso, corollis albo-coeruleis. Habitat in quercetis supra vineas budenses in valle Wolfsgraben.

1399. **O. niger.**

Habitat in silvis omnis Hungariae. Floribus albis ad Sz. Job in Cottu Bihariensi

1400. **O. ochroleucus.**

In quercetis Budae.

1401. *Coronilla Emerus.*

In monte Badaeson supra vineas in fruticeto. Umbellae 3—4-florae, in horto etiam 5-florae.

1402. *C. coronata.*

Foliola non raro 13, inferiorum foliorum subrotunda, superiorum non raro obovata, impar emarginatum, obcordatum, omnia incurvata, supra (in siccatis) tenuissime punctata. Habitat in graminosis ad margines silvarum Budae, ad Budaörs, inque valle Marci Budae, et Vilena dragae Croatiae montanae. In Fatra inventam et cultam misit Rochel sub nom. *C. montanae*.

1403. *C. minima.*

Foliola in nostris potius subrotunda, obtusa cum brevissimo mucrone, impar emarginatum, infima ab insertione plerumque ad $\frac{1}{3}$ pollicis remota, stipulae plerumque bifidae corollae sub exsiccatione virides, aut ut *Loti corniculati*, quem statura refert. Habitat in montanis Hungariae, Croatiae, sed raro occurrens, mihi non nisi in Merszin versus Vrelo, in alpe Plissivica, in monte inter Hradek et Sz. Iván.

1404. *C. varia.*

In pratis, dumetis, silvis rarioribus, usque in Scepusium et Arvam passim. Flor. Junio, in septentrionalibus Julio, Augusto. Petioli, potissimum caulis, quandoque etiam pedunculi inferni setulis patentibus adpersi. In horto ad acidulum Fürediensem occurrit glaberrima, caulibus sub fructificatione nigris, foliis ellipticis, qualia etiam alias plerumque sunt, nec lanceolata.

1405. *C. pendula* mihi.

Glabra. Caulis angulatus. Foliola 4—13, obcordata cum brevissimo mucrone. Stipulae binae, laterales, subemarginatae, umbella 3—6-flora, breviter pedunculata.

Legumina pendula, ut nuntiat Mauksch; qui montibus calc. rarissime occurrere et Julio florere nuntiat. Vix distincta a *C. varia*.

1406. *Ornithopus perpusillus*.

Linnaeus plantam glabram, Reichardus totam plantam hirsutam esse dicit, qualis illa est, quae in Transsilvania occurrit a Baumgarten missa et in vicino Banatu.

1407. *Hippocrepis comosa*.

Tota planta vix digito aut palma altior. Caulis brevissimus, angulatus, glaber. Foliola 9—13, obovata, acuta vel mucronata, impar emarginatum cum mucrone cuneatum. Pedunculi communiter caule longiores. Umbellae 5—9-florae. Ungues petalorum calyce plus quam duplo longiores. In Balba Hora Lucsvicensi Majo toto aestate floret. A Mauksch missa cum interrogatione an *C. minima*, quae non est, accedens potius ad *C. variam* nisi eadem sit. Stipulae sunt majores quam in *C. varia*, ovatae, acuminatae, laterales. Misit etiam Rochel specimen *C. glabrae*: foliolis 9—11, oblongis, subovatis, obtusis aut nonnihil emarginatis, mucronatis, distincte petiolatis, stipulis lanceolatis, pedunculis elongatis, spithamaeis, unguibus calyce plus quam duplo longioribus sub n. 316. et nom. *C. minima* missa.

1408. *Hedysarum obscurum*.

Caules ex eadem radice plurimi, plus minus flexuosi, palmares, spithamaei raro altiores, erecti nonnumquam ascendentes, non decumbentes, stipulis vaginantibus fuscis apice bifidis tecti, superiore parte pubescentes, pilis tenuissimis albis. Foliola 15—21, ovato-lanceolata, acuta, inferiora ovata, mucronata, non raro emarginata cum mucrone, supra glabra, subtus pubescentia aut glabriuscula, nervo tamen semper pubescente, in junioribus a densis pilis canescente. Petiolus pubescens, uti et pedunculus, praesertim versus superiora.

Calyx quoque pubescens praesertim dentibus. Alae calyce multo longiores; vexillum his, et carina hoc longiora. Bracteae pedunculis longiores, lineari-subulatae pubescentes praesertim versus apicem. Legumina pubescentia, laevia. Habitat in alpium carpat. saxosis, asperis, infra summas rupes in harum ruderibus. Fl. Junio, Augusto, Mauksch. A Dr. Baumgarten sub nomine *Phacae alpinae* missum e Transsylvania.

1409. H. *Onobrychis*.

Caulis, petioli, stipulae, foliola, pedunculi, bracteae et praesertim calyces pubescunt pilis albis tenuioribus sericeis. Foliola elliptico-lanceolata, obtusa cum mucrone, superiora acuta. Spiculae ovatae, acuminatae. Bracteae subulatae, pedicellis longiores. Alae calyce, carina vexillo breviores. Ergo definitio M. a B. melior scilicet: caule erecto, foliis pinnatis, foliolis elliptico-lanceolatis subtus pilosiusculis, racemis cylindricis, alis calyce brevioribus, lomentis simplicibus subrotundis glabris aculeato-dentatis. Caules tamen plerumque declinati aut decumbentes.

1410. H. *arenarium* mihi.

Radix perennis, sesqui- aut bipedalis, non raro etiam longior, simplex, nec nisi inferne in paucos ramos divisa, latere nonnullas radículas edens, calamum digitumve crassitie aequans, sub cute fusca, flavescens, substantia albida, fibrosa, tenaci, sapore et odore leguminoso ingrato. Caules ex eodem radice capite plures, primum erecti, dein declinati aut ascendentes, demum pedunculis pedales aut sesquipedales, culmum tritici calamumve crassitie aequantes, teretes, striati, glabri, simplices ramosive, inter ramos alternos pedunculove flexuosi. Folia alterna, petiolata, 4 — 7-juga cum impari: foliolis oppositis, inferioribus non raro subalternis brevissime petio-

latis, lanceolatis, supra nudis subcanaliculatis, subtus appressis pilis obsitis, subcarinatis, integerrimis, acutis. Petioli pilis adpersi, tribus lineis elevatis subangulati, supra canaliculo exarati. Stipulae lanceolato-subulatae, medio fuscae, margine membranaceae, basi subconnatae. Pedunculi axillares, in aliam, quam folia, partem tendentes, teretes, striati, nudi laeves, longissimi (caule longiores) erecti. Flores in racemo, ante florescentiam nutante, denso, dein erecto, elongato, laxo, breviter pedicellati, ante florescentiam erecti, sub anthesi patentes. Pedunculi communes inter flores angulati, pubescentes. Pedicelli purpurascens, pilis appressis densis cani. Bractae angulato-lanceolatae, pedicellis paulo longiores, pubescentes. Calyx 5-fidus, tubo brevissimo, versus basin angustato, pubescente: dentibus subulatis, pilosis canescentibus, infimo brevissimo, sub anthesi patente, supremis duobus longissimis, profundissime divisus et maximo intervallo distantibus. Corolla calyce plus quam duplo longior, pallide rubra: vexillo obovato, subemarginato, striato, striis profundius purpureis, intus versus margines purpureo-punctatos evanidis: Carina calyce duplo longior, vexillo brevior, obtusa, subdipetala: petalis subcoalitis obtusis, striatis, versus apicem violaceis, dorso carinae flavescente, unguibus albidis. Alae calyce breviores obtusae, striarum expertes, margine altero in brevem albidum unguem, altero (superiore) in processum breviorum obtusum, rugis binis recurvis notatum excurrente. Stamina carina inclusa, eadem breviora, diadelpa, filamentum superum liberum, breviorum reliquis, subulato, basi connexo cum ungue vexilli nectarifero, reliquis connatis vix liberis; antherae ovales, flavae. Pistillum staminibus aequale. Germen pedicellatum, oblique ovatum, pilis albis hirsutum, incurvo-rostratum, rostro in stylum filiformem album exeunte; stigmate aequali, flavescente. Legumina sub-

secunda, semiovata, elevato-rugosa: rugis carinaque aculeato-dentatis, monosperma, pubescentia. Semen pallide fuscescenti-cinereum et griseum, laeve. Vexilli unguis brevissimus, crassiusculus, flavescens. Crescit in arenosis. Differt ab *H. Onobrychi* florescentia seriore (hoc nimirum sub medium Maji; *arenarium* sub initium Junii primos flores pandit); secundo foliolis angustioribus, canescentibus; 3) stipulis angustioribus, subulato apice ternatis, longioribus; 4) pedunculis caule longioribus; 5) floribus majoribus; 6) (ut in horto notavi) caule foliisque pubescentibus; foliolis lanceolato-aetis (nec ovato-lanceolatis inferiorum obtusis); alis calyce brevioribus; vexillo retuso (nec emarginato); lomentis carina dorsali subulato-dentatis (nec obsolete denticulatis) florescentia seriore; colore flor. viride-rubro; lomentis minoribus, paulo magis pubescentibus.

1411. *H. montanum* DC.

Ad Kesmarkinum in meridionali Scepusio; in collibus calcareis ad Ganóc.

1412. *H. album*. Pl. rar. Hung. II. t. 111.

In rupibus calcareis ad Csiklovam.

A d d e n d a.

Fungi.

1413. *Agaricus undulatus* mihi.

Pileus albus, planiusculus: marginibus deflexis; lamellis albis, inaequalibus eleganter undulatis. *Stipes* albus, supra dilatatus, basi angustatus, ibidemque valvatus, totus albus. In agris subavinos Pesthini mense Octobri.

1414. *A. alneus*.

A. acaulis, lamellis bifidis pulverulentis. Hab. in emortuis truncis et ramis non modo *Alni*, sed et *Pteleae tri-*

foliatae. Cinereo-albidus, inciso-lobatus: lobis bifidis, lobulis apice dilatato-involutis aut potius deorsum revolutis, ibidemque dense brevissimis setulis obsitis, ceterum utrinque pulverulentis.

Asperifoliaceae.

1415. **Cerithe alpina** mihi; *5-maculata* Wahlenb.
Pro nova etiam agnoscit Willdenow.

Radix perennis. Caules erecti aut declinati et incurvo-ascendentes, pedales, simplicissimi, quantum in sicco observare licet, angulati, glabri, laeves. Folia alterna, amplexicaulia, baseos angulis prominentibus subsagittata, obtusa, integerrima, glabra, punctis eminentibus albis in superiore pagina densis, in inferiore raris obsita, inferiora spathulata, superiora lingulata. Flores in racemis binis conjugatis recurvis dense congesti; pedunculis propriis calyce brevioribus; foliis floralibus singulos pedunculos stipantibus cordatis, acutis; inferioribus flores excedentibus, superioribus successive brevioribus. Calyx 5-partitus: laciniis lanceolatis, acutis. Corolla bulbosa, clavata: tubo flavo, parte incrassata violaceo, ore 5-fido, aperto: laciniis acutis. Stylus setaceus, corollam excedens. Stigma acutum.

Hab. in editissimis alpium pasenis. Floret Julio. Rara. Inventa a Thoma Mauksch. Schrader scribit: Möchte wohl mit *C. maculata* einerlei sein, die kaum oder wenig von *C. minor* verschieden ist.

1416. **Cynoglossum officinale.**

In Scopusio in arenosis.

1417. **C. silvaticum.**

A Lumnitzer com. Horiky.

1418. **C. cheirifolium** Jacq. *pictum* W.

In m. Nitriensi et Somlyó lectum. Sed corolla calycem excedit.

1419. **C. omphalodes.**

In silvis Croatiae.

Primulaceae.1420. **Androsace maxima.**

In vineis agrisque.

1421. **A. elongata.**

In graminosis siccis ad Gyöngyös, Posonii.

1422. **A. villosa.**

Folia subtus dense albo-villosa, supra glabriuscula. In alpinis carpath. et croaticis: nempe in Mali Vizsocsica et sub cacumine Lomnitiensi, in Scepusio.

1423. **A. Chamaejasme.**

A Genersich missa sub nomine *A. villosae*.

1424. **A. obtusifolia.**

In alp. Carpathicis.

1425. **A. lactea.**

In alpinis Scepus. et Liptov. in Chocs ipse legi; a Mauksch *A. anomala* dicta, Wahlenbergio *A. pauciflora*, qui diversam putat.

1426. **Aretia helvetica.**

Ex alpinis Scepusii a Mauksch.

Polemoniaceae.1427. **Polemonium coeruleum.**

In subalpinis Carpathi.

Caryophyllaceae.1428. **Drypis spinosa.**

In alpe Bádány Croatiae, loco lapidoso.

Evonymaceae.1429. **Evonymus verrucosus.**

In plerisque silvis Hungariae, Banatus, Slavoniae, Croa-

tiae; non tamen in montes altiores ascendit. In Matra obviam habui sesqui-orgyalis altitudinis.

1429. E. medius mihi.

Rami juniores teretes, seniores 4-anguli: angulis suberosis fuscis, interstitiis seu lateribus viridibus. Folia opposita, petiolata, late ovata, subacuminata, acumine setula mucronato, serrata, dentibus subincurvis, setula mucronatis, utrinque glabra. Petioli scabriusculi, praesertim marginibus, supra canaliculati. Stipulae setaceae, basi seta breviorae auctae. Pedunculi florum erecti, subquinqueflori, raro triflori, rarius 6-flori, compressi, dichotomi, glabri, laeves. Flores omnes (etiam primarius e dichotomia) tetrandri, tetrapetali: calycibus 4-partitis: laciniis subrotundis, concavis; petalis oblongis, obtusis, margine tenuissime denticulatis seu serrulatis, calyce triplo longioribus, viridi-flavescentibus. Stamina ut in *E. europaco*, uti et pistillum.

Hic vulgatissimus est apud nos.

1430. E. europaeus.

Ab *E. medio* fere tantum differt: foliis lanceolatis, serraturis horum muticis, pedunculis 5 — 9-floris. Reliquis notis omnino convenit, etiam floribus omnibus tetrandris, 4-petalis.

1431. E. latifolius.

Posonii a Lumnitzer inventus (si recte determinatus; e Scepusio a Genersich missus (an ibi sponte natus?).

E p i l o g u s .

Beati Kitaibelii ultimum nec levissimum opus, nunc ex manuscriptis ejus conscriptum, prelo commissum et plane absolutum cum botanicis communicamus, qui, si rude forsitan censeant et majore ex parte impositum, haud praetervideant auctoris quondam celeberrimi primitias esse delineationum se-


rius expoliendarum et exstruendarum hucusque intactas, nec a me nisi temere et quantum necesse fuit emendatas. Quarum adnotationum primae rariorum inter plantarum Hungariae tomum primum et secundum ortae videntur, ultimae autem proximo ante mortem tempore, m. Novembri a. MDCCCXVII. Species plantarum, quae citantur semper sunt illae a cel. Willdenovio editae. Botanici vero Berolinenses de flora Hungarica componenda eodem modo ac ipsi Hungarici merentur, si hisce cum notis derelictis ea, quae in herbario Willdenoviano prostant specimina a Kitaibelio olim missa comparabunt et Hungariae botanici, qui Kitaibelii hortum siccum ab archiduce Josepho, palatii comite, septem millium florinorum pretio pro Museo publico Hungarico emptum studiis suis amplectentur, ad edendam floram Hungaricam, jam longius summopere desideratam, vi unita sese accingent.


Reliquias hasce Kitaibelianas, hinc inde fugitiva manuscriptas, nec omnino puras, commentariolis aliquot augere maluissem, sed ne res in posterius referatur tempus, melius duxi, omnia ea, quae addenda vel explicanda videbantur, iis relinquere, qui Florae nostrae ditissimae componendae operam navabunt.

Ante quam vero finem imponam, necesse ut praeceptorio meo, viro summopere colendo, directori et professori Dri Eduardo Fenzl summas agam gratias pro eximia benevolentia, qua Pesthini servata manuscripta mihi paravit, dein botanices professori Halensi Dri. de Schlechtendal cujus curae non solum editionem illico typis instituendam sed etiam emendationes typographicas debeo. Ingratum vero me haberem nisi erga viros illustrissimos, consiliarium aulicum et camerarium c. r. de Kubinyi, bibliothecarium de Mátray et archivarium de Czanyuga, qui libentissime manuscripta Vindobonam ad me miserunt, gratissimum animum semper servarem. Valet et favete.

Dabam Vindobonae, Id. Junii 1863.

Augustus Kanitz.





New York Botanical Garden Library

QK 323 .K53

Kitaibel, Paul/Additamenta ad floram Hun

gen



3 5185 00109 7409

